Ad

Herodiani rerum Romanarum scriptoris

libros V. et VI.

observationes

scripsit

Joannes Blaufuss
Castellensis.

Dissertatio inauguralis Erlangensis.

ERLANGAE
Typis Fr. Junge Typogr. Aulae Reg. Bavaric. et Universitatis
1893.

Ad

Herodiani rerum Romanarum scriptoris

libros V. et VI.

observationes

scripsit

Joannes Blaufuss
Castellensis.

Dissertatio inauguralis Erlangensis.

ERLANGAE

Typis Fr. Junge Typogr. Aulae Reg. Bavaric. et Universitatis

1893.

Praefatio.

Cum Herodianus I, 2, 5 promittat se ea tantum narraturum, quae post obitum Marci per totam vitam ipse viderit aut audiverit, quo fere tractu temporis vixerit, ex circuitu libri eius computabimus. Qui quoniam initium capit morte Marci relata, Maximi et Balbini caedibus desinit, iam pro certo habemus nostrum inde ab anno 181 usque ad annum 238 p. C. n. inter vivos fuisse.

Sed quo anno natus sit, quo mortuus, inde non comperimus et, cum omnino certa de hac re testimonia non inveniantur, coniectura nobis opus est tenuiora rerum vestigia notante. Et primum quidem verisimile est eum iam ante illa initia imperatoris Commodi complures annos transegisse, quod ex ipsius verbis colligas. Exspectabas enim ab eo, qui ea tantum sibi scribenda sumpsit, quorum per totam vitam ipse testis fuisset, si ineunte Commodi principatu ortus est, ut priora tempora ob eam causam tractanda remitteret, quod iis non interfuisset. Sed nullum verbum in hunc modum protulit, sed eo munere se supersedisse, quod illa tempora iam satis a multis et doctis hominibus essent descripta.

Maximi autem et Balbini principum Herodianum superstitem fuisse facile intellegitur. Ut autem fundamentum iaciamus, quo fulti accuratius de morte eius statuamus, primum nobis quaerendum est, quo anno historiam suam composuerit? Exeunte igitnr secundo libro auctor profitetur se ea relaturum, quae per septuaginta

annos a multis imperatoribus gesta ipse noverit. Prompta suspicio et quae firmetur, si omnino humanae vitae condicionem in rationem vocaveris, eum hoc numero id temporis spatium oculis nostris subicere, quantum ab excessu Marci usque ad eam tempestatem defluxerat, qua ipse secundum librum confecit. Qua via adducimur, ut anno 251 p. C. n. id nostrum fecisse dicamus et eodem fere tempore et ceteros libros in lucem emisisse.

Sed satis constat hunc numerum septuaginta annorum iam dudum literatis viris offensioni fuisse, qui duas res maxime respicientes sexaginta reponere voluerunt. Nam primum illum numerum continuationi totius operis repugnare, quippe quod non septuagesimo, sed duodesexagesimo anno peracto historiae filum abrumperet. Numerum autem sexaginta pro duodesexaginta, ut solidam summam nominaret, nostrum adhibuisse. Sed haec una res, quoniam septuaginta summa librorum manu scriptorum consensione legitur, me non ita movet, ut mutandum esse censeam. Nam potuit scriptor aliud sibi proposuisse, aliud perfecisse, sive morte sive quacunque causa praepeditus est, quominus narrationem ad eum quo tenderet finem perduceret.

Deinde lectio haec septuaginta in suspicionem cecidit, quod I, 1, 5 sexaginta nominantur anni eo modo, ut his verbis omnium librorum ambitus significari videatur. Sed contra tenendum est hanc primam orationis partem utut prooemium ceteris libris iam confectis compositam esse, quod ita se habere scriptor ipse usu aoristi temporis (cf. I, 1, 3: *ἤθροισα ἐς συγγραφήν*) satis perspicue indicat, ut igitur, quod supra diximus, auctorem aut morte aut quarumcunque rerum respectu, quominus opus propositum ad finem perscriberet, praepeditum esse, hoc loco in testimonium vocato, illud quidem reiciatur, hoc confirmetur.

Itaque cum iam scriptor ipse dicere videatur septuagesimo anno post Marci obitum libros scriptos esse, in ipsis tamen inveniuntur certa indicia, quibus ducti neglegenter ab eo, ut in computandis annis fieri solet, hunc numerum usurpatum esse statuamus. Etenim permittimus Herodianum spatio temporis satis longo post illas imperatorum Maximi et Balbini caedes rem ad umbilicum duxisse, ita tamen, ut non annum 248 egrediamur.

Et septimum quidem et octavum libros iam non imperitante Gordiano III. conscriptos esse inde apparere videtur, quod eum Caesarem in societatem imperii vocatum neglegentia quadam et levi nota (cf. VII, 10, 8: *ἦν τι παιδίον νήπιον κτλ.*; VIII, 8, 7: *ἐπειδὴ πρὸς τὸ παρὸν ἄλλον οὐχ εὗρον κτλ.*) introduxerit, cuius mores et vita cum et ingenio et stilo nostri, ut ex Alexandri Severi similitudine colligas, aptissima fuerint, verisimile est eum longe aliter de eo elocuturum fuisse, si id fieri tempora admisissent. Ergo Philippo imperitante iam interfecto Gordiano III. hos libros scriptos esse dicemus; quod si mecum senseris, neque difficile est cognoscere, qua causa, quod sibi proposuerat auctor, non ad suum finem perduxerit. Nam pravum videbatur historiae fidem corrumpere, periculosum vera referre.

Exin si consideraveris, quomodo ab nostro de ludis saecularibus a Septimio Severo principe anno 204 celebratis III, 8, 10 relatum sit, iam non dubitabis, quin anni 248 eosdem ludos nondum viderit. Nam nullo pacto, si posteriores illos iam in conspectu habuisset, dicere potuit: *εἴδομεν δὲ ἐπ᾿ αὐτοῦ καὶ θέας τινῶν παντοδαπῶν θεαμάτων* (immo expectares: *εἴδομεν δὲ καὶ ἐπ᾿ αὐτοῦ κτλ.*) neque magis: *οὕτως ὁ μεταξὺ χρόνος τῆς παρελθούσης ἑορτῆς καὶ τῆς μελλούσης ἐδηλοῦτο πᾶσαν ἡλικίαν ἀνθρώπων ὑπερβαίνων.*

Itaque ut ex his omnibus summam subducamus, Herodianus post Gordiani III. obitum anno scilicet 246 vel 247 historiam composuisse videtur, et error erit tantum paucorum annorum, si eum inter annos 170 et 250 vixisse putamus.

Quibus transactis de patria eius nobis quaestio est. Et eum Graecum fuisse omnes consentiunt. Kreutzer autem Joannes in libello, quem de Herodiano rerum Romanarum scriptore dissertationem inaugularem edidit (Bonnae 1881), haec attulit testimonia:

1. ipsum scriptoris nomen Graecum;
2. Graecam linguam, qua Herodiani libri scripti essent;
3. verba ipsius I, 11, 1; I, 11, 5;
4. quod imperator more Graecorum *βασιλεύς* appellaretur neque *Καῖσαρ* vel alio nomine;
5. quod Commodus diceretur inde nobilissimus fuisse imperatorum, quod imperatore patre natus esset. Hanc enim ex more Graecorum vel orientis incolarum sententiam esse, non Romanorum.

His ex rebus ego omnino nihil certi apprehendi posse censeo. Neque enim Herodiani nomen natione Graecum arguit, quod sane hominem significat Herode quodam patre natum in alius gentis societatem accitum; Herodis autem nomen etiam Judaeis in usu fuisse varia docent historiae sacrae testimonia. Neque lingua scriptoris hic potest in auxilium vocari. Quid? Nonne Marcus Aurelius Romanus, Flavius Josephus aperte Judaeus Graecum sermonem in libris scribendis usurpant? Qui etiam Romae iam dudum in communem usum nobilium et eruditorum irrepserat. Neque idem I, 11, 1 neque I, 11, 5 probatur, quibus locis id tantum firmatur Herodianum Graecis hominibus historiam composuisse. Quod autem imperator ab nostro *βασιλεύς* appelatur, hoc magis di-

ctioni quam nationi eius tribueris nec denique, quae quinto loco profertur causa, ut assentiamur, nos movere potuerit, quoniam satis constat et Tacitum Romanum dilligentissime nobilitatis gradus distinxisse.

Sed certiora Graecae originis nostri indicia III, 3, 3 et V, 7, 5 nobis praestari intellegas, ubi Graecorum propria circa palaestras et gymnasia studia in Geta et Alexandro Severo laudibus tulit. Atque a Severo dicit ludos saeculares in similitudinem quandam mysteriorum concelebratos esse. Qua in re minime de Samiis vel Asiaticis vel Aegyptiacis mysteriis cogitandum est, quae tumultuose habita et in libidines versa multum abhorrebant a severitate rituum Romanorum neque omnino mysteriorum sed orgiorum nomine appellabantur. Eleusinia igitur in comparationem vocavit, quorum cognitio cum Graecis maxime pateret et ipsum neque minos eos, quibus historiam dicavit, Graecos fuisse coarguere videtur. Et idem apparet ex IV, 4, 7, ubi donativum nummis solutum haud dubie Romanis Attica pecunia definit, nisi quod hoc loco et Herodianus et ii, quibus scripsit, non solum Graeci sed etiam Athenienses fuisse indicantur.

Sed patriam et natales cognovisse non perinde necessarium est quam statum ipsius et quibus rebus interesse potuerit, unde metiaris, quantum ei fidei in singulis habendum sit. Qua in re cum ipse id tantum exhibeat se nonnulla eorum, quae scripturus esset, experiundo cognovisse utpote in principalibus et publicis officiis versatum, et hic summa rerum coniectura nititur.

At viri doctissimi Borghesius (Oeuvres epigr. t. III, p. 120) nec non Kleinius (Die Verwaltungsbeamten des römischen Reiches) subsidia paraverunt, quibus res nostri in clariore luce ponerentur. Attulerunt enim ille titulum ab Orellio sub num. 3760 exscriptum:

„Ti. Claudio Herodiano C. V. leg. prov. Sicil. iudici
„rarissimo patrono col. Panhormit. principales viri ex
„aere collato d. d.“;

hic autem rescripta duo in codice Justinianeo servata:

V, 66, 1:

„Impp. Severus et Antoninus A. A. Herodiano. —
„Qui ad tutelam vel curam vocantur, Romae quidem
„trium liberorum incolumium numero, quorum status
„non ambigitur, in Italia vero quattuor, in provinciis
„autem quinque habent excusationem. P. P. Non.
„April. Geta et Plautiano conss.“

(in fragm. iuris Antejust. § 191 et hic Herodianus Claudius nominatur.),

IX, 41, 6:

„Imp. Gordianus Herodiano. — Pridem placuit do-
„mestica servorum seu libertorum propiorum vel pa-
„ternorum vel maternorum interrogatione in causis ad
„dominos vel patronos pertinentibus abstinendum esse,
„ut neque pro his neque adversus eos in capitalibus
„vel pecuniariis quaestionibus veritatis vim obtinere
„possit, quod in confessionem ab eis fuerit deductum.
„P. P. VII. Id. Mai. Sabino et Venusto conss.“

Borghesius igitur in illo, quem supra exsignavimus, titulo historicum Herodianum nominari putavit, unde, ut assentiamur viro de literis optime merito, comperimus eum tempore quodam legatum Augusti fuisse pro praetore et dignitatem ei asserimus senatoriam.

Eiusdem autem ordinis et eos dicemus Herodianos fuisse, ad quos rescripta illa imperatorum data sunt. Nam qui ab Severo et Antonino appellatur, praetor tutelarius fuit, et Gordiani temporibus res capitales in urbe penes praefectos et urbi et praetorio erant. His autem muneribus omnibus eadem senatoria dignitas postulabatur.

Sed postquam iam Kreutzer neque illo titulo neque his rescriptis scriptorem nostrum nominari censuit, expediet Fr. Aug. Wolfii referre sententiam adhuc non eversam de Herodiano ita indicantis: „suspicor quidvis illum potius quam vel Senatorem vel iure consultum vel militem fuisse. Neque enim vicissitudines et tanquam gradus, quibus Senatus per malas artes principum de loco suo detrusus, tandem collegium mancipiorum togatorum evasit, nec Senatorum in crebra rerum conversione consilia maiori aliquo studio commemorat; nec quidquam ex scientia iuris et legum, strenua tum adiutrice dominationis, expromit; nec denique bellicis rebus explicandis se vel artis gnarum, vel expeditioni alicui unquam interfuisse prodit."

Quoniam subsidiis extrinsecus allatis nihil iuvamur, ad ipsius verba nobis redeundum est I, 2, 5 in eo gloriantis, quod in principalibus et publicis officiis versatus — *ἐν βασιλικαῖς ἢ δημοσίαις ὑπηρεσίαις γενόμενος* — nonnulla experiundo cognoverit, et quaestio oritur, quam noster nomini *ὑπηρεσία* notionem coniungere solitus sit?

Hanc autem vocem primum ita adhibet, ut id, quod intellegatur, a consuetudine oculorum sevocatum sit et sensum habeat passivum. Eius modi inveniuntur exempla:

III, 5, 6: *μετὰ τὸ ἀποχρήσασθαι αὐτῶν τῇ ὑπηρεσίᾳ;*

III, 11, 5: *νῦν σοι καιρός, ἔφη, τέλος γενναῖον ἐπιθεῖναι εὐνοίᾳ τε καὶ ὑπηρεσίᾳ, ἣν πρός με ἐπεδείξω;*

III, 13, 6: *τινὰς καὶ λαβὼν ἐπὶ τοιαύταις ὑπηρεσίαις ὁ Σεβῆρος ἐκόλασεν;*

III, 15, 5: *ἴσην αὐτοῖς ὑπηρεσίαν καὶ εὔνοιαν παρείχοντο;*

VII, 8, 11: *αἰφνιδίου γὰρ γενομένης τῆς ἐπ᾽ Ἰταλίαν ὁδοῦ, οὐκ ἐκ προνοίας, ὥσπερ εἰώθει, ἀλλ᾽ ἐξ αὐτοσχεδίου καὶ ἐπειγούσης ὑπηρεσίας κτλ.*

Item, sed activo sensu adhibetur:

II, 5, 3: *οἱ ἐν τῇ βασιλείῳ ὑπηρεσίᾳ* i. e. famuli aulici;

V, 8, 5: *ὀψοποιοῖς τε καὶ οἰνοχόοις ὁ παῖς ἐχρῆτο οὐ τοῖς βασιλικοῖς καὶ ἐν κοινῇ ὑπηρεσίᾳ τυγχάνουσιν*;

VII, 8, 5: *παρ' οἷς ἐς τὴν τοῦ ἡγουμένου ὑπηρεσίαν ἀρκοῦσι ῥαβδοῦχοι* i. e. lictores.

De personis autem hac voce utitur:

III, 12, 12: *χρησάμενος ἐν τῷ τέλει ἀπίστῳ ὑπηρεσίᾳ* = postremum perfido usus ministro;

VII, 3, 4: *ἄνευ ὑπηρεσίας* = sine ministris.

Quae cum ita sint, ut omittamus, quae primo et tertio loco feruntur exempla, quippe quae nihil ad rem nostram affere videntur, si quidem illorum sensus passivus, horum ad homines relatio prorsus nulla ratione verbis I, 2, 5 prolatis convenit, vocem *ὑπερεσία* nusquam invenimus de magistratibus aut de maioribus ministeriis principalibus usurpatam esse — his autem designandis et quibus sua cuique dignitas et potestas coniuncta est nominibus *ἀξίωμα* vel *ἀξίωσις* vel *τιμή* vel *πρᾶξις* utitur —, inferiora et vilia munia velut coquorum et lictorum ea designantur. Similem esse substantivi *ὑπηρέτης* condicionem iam pridem constat. Firmatur igitur et hac via, quod antea Fr. Aug. Wolfius de statu nostri censuerat, et prompta suspicio, si literarum eius studium in rationem duxeris, eum imperatoribus et magistratibus quibusdam admanuensem fuisse vel simili aliquo et minore munere functum esse.

At quibus imperitantibus talia munia gesserit, nullo verbo indicat neque, quaecunque de ea re statuerimus, egrediemur coniecturarum vim, quibus sua natura dubitatio semper inhaeret. Cum autem spectaveris, quomodo de singulis imperatoribus eorumque ministris commemorationem faciat, possis similitudine quadam veri con-

firmare, quibus officia sua non praestiterit. Itaque si Commodi imperium exemeris propter puerilem nostri aetatem, neque Septimio Severo neque Getae eum operam praebuisse probabile est, quia Caracallum et patris et fratris omnes famulos occidisse legimus (III, 15, 4. IV, 6, 1 et 2); neque Elagabalo, cuius ministris infamiae notam imposuit (V, 7, 6—8). Et Maximinus Alexandri Severi familiam plurimos interfecisse traditur, nonullis tamen ita pepercit, ut eos principali aula depelleret (VII, 1, 4.). Neque eum Maximini neque Caracalli administrum fuisse crediderim, quorum summam prae se ferat aversationem, ut igitur Macrini et Maximi Balbinique tempora, dein Alexandri Severi, in hanc quaestionem veniant, quam tamen planius expediri posse desperandum est.

Ab omnibus denique, qui diligentius de Herodiani libris tractaverunt, disceptatio introducitur levis fortasse ad cognitionem, sed quod ad fidem scriptoris attinet haud spernenda, ubi gentium vitam egerit, si quidem ad res historiae mandandas multum refert, unde eas prospexeris.. Et Romae quidem, si non natum, at certe aliquam vitae partem eum transegisse Wolfio abusque omnes consentiunt. Tantam in eo enitere rerum Romanarum notitiam (I, 10, 5. 16, 2. IV, 2) neque certa deesse indicia (I, 15, 4. II, 8, 10. V, 5, 7. VII, 12, 5). Ut haec non contemnimus — quamquam priora illa cum cautione laudemus; ex quolibet enim Romanarum antiquitatum libro haurire potuit —, ita etiam nos partem eum vitae et quidem maiorem Romae habitasse ex ipsius operis natura et conformatione colligimus. Nam si fides est habenda dicenti se ea tantum narraturum, quae ipse viderit aut audiverit, ubinam id faciendi ei occasio contigit nisi Romae, quo omnium et rerum et terrarum confluxit notitia et hominibus humiliore quoque statu

patuit actis diurnis et rumoribus passim vulgatis. Atque idem confirmari videtur, si ipsius rationem narrandi consideraveris, qui in eo munere, sicut animum induxit, imperatores per quascunque terras prosecutus Romam tamen interdum historiae filum reducit et id quidem eo colorum vigore, ut tacito quodam sensu tibi persuadeatur eum ipsum qui narrat rebus ibi gestis interfuisse (quod mihi in postremo maxime libro accidit cf. 6, 7 ss.).

Huius igitur libri postquam, ut supra monstravimus, a. fere 247 prodierunt, cum de aequalibus nihil constet, posteriorum haud parva studia sibi excitaverunt. Id testatur quum textus ipsius qualis codicibus exhibetur forma', qua variorum adnotantium interpolantium opera arguitur, tum maxime vestigia observata in libris eorum, qui postea horum temporum historiam composuerunt. Et scriptores quidem historiae Augustae, ut praetereamus Arrianum obscuri adhuc nominis virum, quem Julius Capitolinus inter auctores numerat (v. Max. II: 33, 3. Gord. III: 2, 1. Max. et Balb: 1, 2.) — at Brocks non inscite hoc nomen ex Herodiano corruptum putavit (vid. Philol. XXXXIII p. 169 s.) — Herodiani auctoritatem aperte profitentur maxime in vitis Maximi Balbini principum eum secuti (cf. Capit. v. Clodii Albini 1, 2. 12, 14. Max. II: 13, 4. Max. et Balb: 15, 3. 5. — Lampr. v. Diadum: 2, 5. Alex. Sev. 52, 2. 57, 3. Poll. tyr. XXX: 32, 1.). Ammianum autem Marcellinum plurima ex eo hausisse E. Schneider diligenter nuper disputavit (de Ammiani studiis Herodianeis diss. Berol. 1879). Dubium, num idem de Dexippo dicatur, quae dubitatio cadit etiam in Zosimum; qui cum multis locis Dexippum exscribat, quae Herodianeae lectioni similia habet, alteri ad hunc scriptorem utut Herodiani sectatorem, alteri ad ipsos Herodiani libros ab eodem praeter

Dexippum lectitatos revocant (cf. Mendelssohni praef. in Her. p. XV, adn.). Septimo autem p. C. n. saeculo Joannes Malalas Antiochenus in historia sua chronica res intra a. 180 et 238 gestas praeter paucas ex Dione particulas ex nostro sumpsit et ita quidem, ut quamvis mutilata illius verba referret, quo fit, ut eius testimonium inter adiumenta critica locum teneat summum. Ad eundem referunda sunt, si qua apud Suidam Herodianea leguntur atque in titulis eclogarum Constantinianarum, quorum Peirescianum de virtutibus et vitiis scriptum codicem Henricus Valesius a. 1634, de insidiis Parisinum primus Cramer typis refingendos curaverunt (v. Crameri Anecd. Paris. t. II). Zonaras deinde Joannes post quinque fere saecula in chronico scribendo inde ab Alexandro Severo his libris usus est et in chiliadibus Joannes Tzetzes. Laudavit eum Photius (bibl. 99), excerpsit Macarius Chrysocephalas saeculo XIV. (Villoison, anecd. t. II), Herodiani sententiarum florilegium nuperrime Basiner, strenuus Mendelssohni administer, Neapoli invenit (cod. misc. II, 32, f. 190—195) itemque contiones nonnullas Mediolani K. K. Mueller (cf. eiusdem: „Eine griechische Schrift über Seekrieg“ in „Festgabe zur dritten Säcularfeier der Julius-Maximilians-Universität zu Würzburg, dargebracht von O. Gramich, H. Haupt und K. K. Müller“).

Quibus transactis iam relinquitur, ut de editionibus nec non de adminiculis artis criticae quam possumus brevissime referamus. Res autem Herodiani ad eam formam, qua hodie nitent, per tres fere aetates processerunt, quarum primam Politiani ornavit invicta facundia, secundam incohatam Aldi Manutii industria distinxerunt Stephani et Sylburgii, Wolfii et Irmisci bene merita, haec autem nostra tempora tulerunt Imm. Bekkeri artem, navitatem Mendelssohnii, quibus his studiis plurimum

accresceret. Ita explicatis temporum ordinibus rem ipsam aggredimur.

Literis igitur renatis, in quantum ea saecula novimus, primus omnium Omnibonus Leonicenus Herodiani Graecum exemplar in manibus habuit. Nam Flavius Blondus, „sollertissimus ille Romanae antiquitatis scrutator“ et cuius opera primum hae historiae prelam typographorum degustaverunt, cum a. 1459 alterum de Roma triumphante librum ederet, adnotavit, quae de Severi apotheosi haberet, ea ab Omnibono ex Herodiano translata sibique donata esse. Neque tamen amplius eum in hoc vertendi munere versatum esse colligas; immo vero id ipsum Flavii Blondi verbis reprobari videtur.

Sequitur Angeli Politiani egregia virtus, qui intra annos 1484 et 1487 oratu Innocentii VIII. P. M. Latinam omnium Herodiani librorum conversionem, ut ipse gloriatur, paucis diebus confecit et quidem eo iudicio et elegantia loquendi, ut per omnes aetates primas tulerit. Atqui nonnulli et docti viri nec non de Herodiani libris optime meriti, quorum in primis Henricus Stephanus nominandus est, fidem et severiorem curam omnia exprimendi desideraverunt. Sed ex ipsius voluntate hoc opus aestimandum est: Nam in epistula ad Magnanimum data: „Tentavimus“, inquit, „uti omnia ex fide responderent, ne inepta peregrinitas, ne Graeculae usquam figurae, nisi si quae iam pro receptis haberentur, Latinam quasi polluerent castitatem, ut eadem propemodum esset linguae utriusque perspicuitas, eaedem munditiae, idem utrobique sensus atque indoles; nulla vocum morositas, nulla anxietas.“ Quae si, ut aequum est, in rationem vocaveris, facile assentiaris Wolfio neque Ciceronem eiusque aequales aliter versuros fuisse.

Ceterum praeclarum opus mirabilia Herodiani studia

excitavit, et Politiani eloquentiae maxime tribueris, quod singularis illa et quae diu valuit opinio exstiterit, tanquam mediocres sane libri Xenophontis, quin etiam Thucydidis laudes aequarent. Neque vero statim typis traditum est, sed exemplaria manu exarata per Italiam passim vulgabantur, quo factum est, ut textus corruptio multa ingrueret et auctoris elegantiam depravaret. Anno tandem 1493 ipsius manu emendatum exemplar Andreae Magnanimo datum est, quo typis descripto prior editio Bononiensis prodiit pr. Kal. Sept. publicata, quam dein eodem anno Romana, sed corrupti alicuius speciem referens, et altera Bononiensis subsecutae sunt.

Vertendo autem Politianus codicem adhibuerat Aldinae editioni persimilem, quo perdito eius interpretatio nobis exstat vice manuscripti libri. Caute tamen ea utendum est, quippe cum rhetorem magis ageret qnam interpretem, Politianus interdum longius ab exemplari suo discessisse videtur. Recte eis tantum locis ad eum recurreris, ubi variam nostris libris sententiam exhibet.

Cum igitur Herodiani historiae, quod etiam aliis contigit veterum scriptorum, harum regionum hominibus primum Latino sermone innotuissent, princeps Graecum eius exemplar in publicum usum vertit Aldus Manutius. Hic vir et alias de restituendis antiquitatis monumentis optime meritus scriptorem nostrum a. 1503 una cum Xenophontis et Gemisthi Plethonis Ἑλληνικοῖς et scholiis ad Thucydidem, quem anno ante ediderat, typis exsignandum curavit nullis additis adnotationibus; sic legitur textus, qualem codex eius eum subministravit, ut perdito illo etiam haec editio paucis exceptis et minoris generis vitiis, quae operis tribuas, pro manuscripto libro nobis esse debeat. Ceterum Aldi scriptura, si separaveris, quae Stephanus Sylburgius Wolfius pauca innovaverunt, per tria saecula dominabatur usque ad annum 1826,

nisi quod mendis eius correctis alia et innumerabilia illata sunt. Supersedentes igitur opera inani et infructuosa posteriores editiones singulatim examinandi de pluribus earum satis tractàbimus, si paucis additis nomina huc afferamus.

Prodierunt igitur

a. 1517. editio Juntina; Herodiani continet, ut Wolfius collegit, latinam versionem a Politiano factam una cum excerptis Aurelii Victoris, Eutropii, Pauli Diaconi libris.

a. 1524. editio altera Aldina Venetiis apud Aldum et Asulanum socerum, quae ex omni parte principem repetit pluribus tamen operarum vitiis foedata. Addita est Politiani versio.

a. 1525. Lovaniensis, cuius titulus in hunc modum: „Ἡρωδιανοῦ τῆς μετὰ Μᾶρκον βασιλείας βιβλία ὀκτώ. Herodiani a Marci principatu historiarum libri octo. Quos Angelus Politianos elegantissime Latinos fecit. Lovanii apud Theodoricum Martinum Alostensem. A. MDXXV. Mense Februario.“ Sed frustra quaeras versionem ipsam. Textus undique Aldinae a. 1503 convenit.

a. 1530. Basileensis apud Joannem Valderum. Aldinam melius exscribit quam quae posteriores eodem nomine feruntur.

a. 1543. Basileensis, de qua videas infra.

a. 1544. Parisiis in aedibus Roberti Stephani, qui Herodianum in collectionem historiae Romanae scriptorum recepit. E regione Graeci textus et eius Aldini versio Politiani adiuncta est sicut deinceps usque ad a. 1758 omnibus.

a. 1549. Basileensis apud Henricum Petri editore Jo. Huobero Basileensi medico. Hic in epistula

dedicatoria ad Stoerium abbatem data huic editioni codicem gloriatur adhibuisse a Phrisio Tigurino sibi suppeditatum. Plurimum tamen et haec Aldinae congruit et, quae habet peculiaria, talia sunt, ut magis manum emendatricem quam codicis auctoritatem innuere videantur. Sunt autem haec:

IV, 12, 5: ἀποσκευάζεσθαι pro ἀποσκευάσασθαι;
V, 3, 10: πεπλασμένη pro πλασαμένη;
VII, 11, 9: ἀπεστραμμένους pro ἐπεστραμμένους;
VIII, 2, 3: παρεῖχον pro παρεῖχε;
VIII, 8, 2: ἀποζωσθεῖεν ἐκεῖνοι, καὶ ἅτε παρόντες . . . pro ἀποζωσθεῖεν, ἐκεῖνοι δὲ ἅτε παρόντες . . . .

Itaque verisimile est fictum esse codicem, ut opus melius veniret.

a. 1543. Basileensis eadem Petri et Huoberi nomina ferens, quam Basileensis a. 1549 exemplar repetentem furtim factam et fraudis tegendae causa prioris anni numero distinctam esse vidit Irmiscus.

a. 1568. Parisiis in collectione historiae Romanae scriptorum a Roberto Stephano facta cura Henrici filii.

Anno tandem 1581 artem criticam Herodiani libri experti sunt eiusdem Henrici Stephani sollertia. Hic eos edidit adiecta Politiani versione, in exteriore margine interpretationis huius adscribens partim supplementum partim examen, in interiore in locos aliquot adnotatiunculas, quibus aut restituuntur aut exponuntur. Subiunctus est Zosimus, qui tunc primum in lucem prodiit. Propria autem his muneribus usus est eruditione et cuius vestigia ex omnibus partibus enitent. Sublata sunt tot tantaque superioris aetatis errata typographica, meliores priorum

lectiones in textum receptae, reficta interpunctio, expleta una lacuna (I, 17, 5), emendationes ipsius additae, sive eas coniectura divinaverat sive hauserat „ex vetere quodam codice.“ Ne multa: tanta eius de Herodiano sunt bene merita, ut nullius quamvis diligenter in eo versati laudibus aequentur. Nova ab eo et integrior incipit Aldini textus conformatio usque ad Wolfii et Irmisci editiones duratura, nisi quod Sylburgius nonnulla felicissime immutavit.

Hic vir, tanto magistro non indignus discipulus, et ipse praeclaram operam in Herodiano collocavit. Exierunt enim per eum a. 1590 Romanae historiae scriptores Graeci minores pars novi pars emendatiores. Tertium huius operis volumen scriptorem nostrum continet. In textu refingendo cum Stephanum maximam partem sequatur, interdum deserit, ita tamen, ut meliora intulerit, adnotationes eius et Politiani examen in inferiore pagina apposuit, subiunxit proprias notas paucas quidem, sed quo vincaris iudicio. Idem recentem codicem subsidiis criticis addidit, quem Andreas Schottius, laboriosus vetustatis rimator, cum in Hispania diu versaretur, collatum in eius usum concesserat. Primus etiam viri eruditionis iudiciique laude olim praeclarissimi Errici Memmi ad Herodianum notas in lucem emisit duorumque aliorum academiae Parisiensis professorum collectis insuper undique, quae a ceteris criticis Turnebo, Leopardo, Hartungo, Casaubono aliisve observata et notationum libris prodita fuerant.

Post Henrici Stephani et Sylburgii virtutes quae insequebantur duo saecula, cum Herodianum non minus vicies emitterent, nihil fere tulerunt, quod ullius ponderis censeas. Exierunt autem:

a. 1593. ed Ingolstadiensis prior apud Davidem Sartorium sine ullis adnotationibus. Textus est

Stephani, nisi quod eius coniecturae in margine adscriptae cupidius interdum et temere receptae sunt.

a. 1608. ed. Ingolstadiensis altera priorem repetens.

a. 1611. Lugdunensis prior et

a. 1624. Lugdunensis altera Stephani a. 1581 editionem referentes, sed plurimis mendis typographicis foedatae, ut earum in recensendo usus sit nullus.

a. 1627. editio Danielis Parei Francoforti emissa, quae repetebatur

a. 1630. ibidem. Utraque paucis notis marginalibus instructa, quod attinet ad textum, vitiosissima. Basileensi autem secunda maxime nituntur rarissimo tantum Stephani vel Sylburgii ingenio in auxilium vocato. Primus etiam Pareus critici laborem contemnens Herodiani libris adhibuit ineptam illam illustrandi rationem, qua ex rebus hominibusque descriptis ethicae cuiusdam et politicae artis normas formaret.

a. 1639. eiusdem Parei exemplar per furtum, ut videtur, Londinii typis excusum est.

a. 1644. Jo. Henr. Boecler Argentorati primum Herodianum edidit similis in eo Parei ingenio, ut et ipse hos libros fundum faceret politicae sapientiae. Multa id genus in notas congessit, quae iam nemo legat. Textus Stephaninus paucis tamen illatis emendationibus. Repetebatur autem haec editio in eadem urbe

a. 1662. et

a. 1672. et quartum

a. 1694. prodiit adiecto indice verborum a Balthasare Scheidio composito, puerili labore et quo pro aerumnis auctoris minor praestetur utilitas.

Sequuntur

a. 1678. ed. Oxoniensis typis theatri Sheldoniani expressa quoad textum Stephanum referens, nisi quod capitum sectiones habet in minorem modum concisas. Quae additae sunt notae ex eiusdem Stephani atque Sylburgii copiis haustae sunt.

a. 1685. ed. Patavina cura Petri Antonii Brigoncii typis seminarii excusa. Accesserunt imperatorum genealogiae, geographica imperii Romani descriptio, tabula chronologica neque tamen haec sine erroribus. In textu multa vitia Parei, quin etiam Basileensis secundae iterantur.

a. 1699.

1704.

1708. Oxoniensis editio a. 1678 repetitur et tertium quidem ab Harwoodo.

a. 1724. ed. Edinburgensis prodiit ab Jo. Patono secundum Pareanum exemplar Londinense curata.

a. 1758. ed. Halensis prior typis orphanotrophei expressa, quae Stephanum refert Sylburgii emendationibus aliquot receptis.

a. 1785. Jo. Schweighauser Basileis editionem Oxoniensem a. 1678 etiam cum praefatione totam descripsit.

a. 1791. Lipsiae exiit Herodianus apud Jo. Ambr. Barthum. Editor, cuius nomen non constat — gymnasii Dessaviensis magister fuerat —, cum operam suam usui scholarum accomodaret, unus omnium illustrando linguam Germanam adhibuit. In notis, quas undique assumpsit, eligendi saporem desideraveris. Strothi optumas, plus decem annis ante emissas, plane neglexit.

Interea innotuerant subsidia critica, quibus nova textus Herodianei forma praepararetur. Primus enim

Martinus, scholae Lipsiensis in Nicolai memoriam dedicatae rector praepositus, codice Monachii asservato ad Stephani editionem collato a. 1740 lectionum excerpta praebuit plenissima. Veneti deinde bibliothecae Marcianae manuscripti exemplaris priores libri per Theopulum publici iuris facti sunt. Anno denique 1759 Strothus, de Herodiano et alias eximie meritus, codicis Vindobonensis varias ab Halensi a. 1758 editione lectiones edidit. Melior igitur et integrior scriptor prodire potuit, si fuissent, qui horum codicum dignitatem recte cognoscerent.

Sed Frid. Aug. Wolfius, qui a. 1791 editionem Halensem curavit alteram, et ipse maluit ad Stephanum et Sylburgium recurrere et quem illorum subsidia praebuerant textum multis etiam locis depravatum tamquam luminibus distinxit illatis, quae prae sua sagacitate aut ipse felicissime coniecerat aut suppeditaverat sollertia aequalium. Minorem igitur, quam ab ingenio huius viri exspectabas, cepit textus utilitatem, propria tamen virtus exstat in prooemio, quo res Herodianeas, ut nemo adhuc alius, luculentissime exposuit.

Intra annos 1789 et 1805 Theoph. Guil. Irmiscus (Lipsiae apud Schwickertum) Herodiani libros in lucem emisit per quinque tomos plus quinque milia paginarum explentes. Hic, sane laboriosus, impiger, strenuus, id sibi proposuerat, ut, quae ubicunque de Herodiano scripta exstarent, in unum congereret. Praemissis igitur praefatione ipsius, Jo. Frid. Leisneri prolusione scholastica de Herodiano Herodianique versione Bergleriana, siglorum expositione, quae proprium studium sibi postulat, addendorum corrigendorumque maiore quam decet numero, ingentem molem contulit: textum secundum Stephani editionem, e regione Graeci Bergleri versionem tum primum prelis subiectam, subinde librorum varietates

aucta materia, cum codicem Venetum denuo et quidem totum comparandum curavisset, hisque vacuo spatio separatas variorum notas Stephani Sylburgii Schotti Memmii, quique postea Herodianum attigerunt, Voetii Fabri Strothi aliorumque innumerabilis turbae, laudem meritus, si proprium iudicium cohibuisset. Nimirum cum singularis iudex id studeret, ut tirones haberent exemplum loci alicuius tuendi defendendique, et omnino ab more saeculi abire vellet, qui nimis pronus esset ad corrigendum et temere excipienda, quae manuscripti libri suppeditarent, legemque sibi sanxisset praecipuam, ut locum adiuvaret prius ac potius interpretando quam emendando, non erat, quomodo per eum parata subsidia in usum verterentur. Itaque excludebantur, quae codices nuperrime collati meliora obtulerant, refutabantur quocunque modo, quae Stephani Sylburgii aliorumque invenerat sagacitas, nihil admissum, nisi quae putida et sordida antiquissimas prelas iam subierant. In eo autem munere infamandi, quod „fluxum illud rerum novarum studium“ tulerit, defendendi, quod antiquitatis probata venustate sit ornatum, tam profusa utitur loquacitate, ut recta falsa, dubia certa, proxima remotissima coacervans et nostrum moveat et aequalium moverit taedium.

Itaque doleas fere, quod ne nostris quidem temporibus molestis illius voluminibus careri possit. Etenim infinitis ipsius ineptiis et farragini undique corrasae admixta est variorum et doctorum hominum praeclara opera, quae per eum primum prodiret. Iam commemoravimus Jo. Henr. Bergleri versionem Latinam ad scriptorem intellegendum praestantissimam, qua Graeca ad verbum omnia fideliter redduntur. Eiusdem nominandae sunt adnotationes eruditione eius non indignae. Leisneri dein huc pertinent notae ad marginem Oxoniensis libri aut aliorum exsignatae, Ernestii ad marginem exemplaris

Pareani, Reiskii ab uxure eius doctissima cum auctore cummunicatae. Atque Gedikii nonnullas animadversiones per literas traditas solus exhibet, neque index verborum, quem inter alia et multa additamenta toti operi subiunxit, sine utilitate, nisi plurimis et pro subtilitate materiae gravissimis laboraret mendis typographorum.

Irmiscus igitur ipsa mole librorum operae pretium perdidit; quos ad rectum modum recidere conatus est Guilelmus Weber (Lipsiae a. 1816). Sed cum usui scholarum operam destinaret, etiam utilia erant praetermittenda. Emendationes tamen intulit aliquot bonas. Ultimus Guilelmus Lange in editione Halis a. 1824 emissa Aldi et Stephani exempla sectatus est.

Novam tandem et rectiorem recensendi viam ingressus est Immanuel Bekker, vir praestantissimus et cuius de bonis artibus merita nunquam satis laudantur. Hic primus obscurum illum Aldini codicis et dubium Stephani veteris fontes relinquere ausus meliorem nobis praestari in Veneto libro cognovit. Caute tamen et reverentia quadam vulgatae lectionis eius auctoritatem admisit in ea editione, quam a. 1826 adiecto apparatu critico emisit. Liberius egit multasque emendationes recentes induxit, cum a. 1855 Herodianum sine varietate lectionum imprimendum bibliothecae Teubnerianae addidit.

Huius viri rationem secutus Ludovicus Mendelssohn cum a. 1883 scriptorem nostrum edendum curaret, summas laudes meritus est. Qui cum item Veneto maiorem fidem haberet, ut et hic codex et alii eius similes Monacensis et Vindobonensis denuo conferrentur, providit. Addidit Laurentianum 70, 17, Leidensem XXIII Gron. 88 hisque paratis subsidiis textum exhibuit quoad exteriorem formam nitidum et speciosum, quoad verba integriorem pravis lectionibus; apparatum criticum subiunxit et codicum, quos nominavimus, continentem varias scripturas

et editionis Aldinae, neque desideras, quas priorum paravit eruditio aut Politiani et Bergleri versiones tecte significare videntur emendationes. Atque multas ipse protulit, qua in re laudes quum ingenium viri tum verecundiam, qui eas utpote coniectura nisas ideoque semper dubias, iis quae codicibus praebentur inserere noluit. Ceterum non nostrum est literatissimi viri hic amplius enarrare bene merita, at gratulabimur saeculo Herodianum per eius tandem operam ad artis leges redactum.

Iam venimus ad extremam huius praefationis partem, qua de reliquis et singularibus scriptis doctorum hominum ad scriptorem nostrum spectantibus nobis referundum est. Qua in re praeteriri possunt Voetii notae in Herodiani Marcum et Commodum imperatores (Ultraiecti a. 1645), quibus ethicam maxime et politicam partes tractavit. Grammaticam propius attingunt Tanaq. Fabri epistola ad Gronovium, in qua aliquot loci emendantur, posterioribus Boecleri editionibus adiuncta; Jo. Frid. Leisneri, cuius iam supra mentionem fecimus, de Herodiano Herodianique versione Bergleriana prolusio scholastica (Lipsiae a. 1761); Fr. Andr. Strothi quinque programmata intra annos 1776 et 1780 in lucem emissa, quorum haec inscriptio „specimina animadversionum in Herodianum"; Fr. Gedikii coniecturae criticae, quae exstant in D. T. Stoschi Museo critico (Lemgov. vol. II, fasc. 2).

Hac autem nostra aetate praeclaram in Herodiano operam contulit A. Nauckius, qui in miscellaneis Graeco-Romanis a. 1861 Petropoli editis viginti sex locos emendavit, paucos non felicissime. Exin Georgius Kettler „nonnullas ad Herodianum rerum Romanarum scriptorem adnotationes" scripsit (Erlangae a. 1882), quibus genus dicendi exponeretur. opellum diligentissime conscriptum, ad recensendum perquam utile. Atque G. J. Kreutzer

prolegomena ad Herodianum composuit in dissertatione inaugurali Bonnensi, cui titulus „de Herodiano rerum Romanarum scriptore“, anno 1881 impressa eandemque materiam tractavit in „Historische Untersuchungen“ (Bonnae a. 1882). Et nonnullas quidem res haud dubie in clariore luce collocavit, alia et ab aliis et ab nobis refutata sunt. In fontibus autem historiae eruendis magis quam decebat nostri fidem neglexit. Correxit denique complures locos H. van Herwerden in Mnem. t. XII p. 1—23.

Germanae exstant versiones ex Politiano factae Hier. Boneri (Aug. Vindel. 1531) et Jo. G. Cunradi (Francof. 1784), ex Graeco G. Melancephalae (Francof. 1593) et ignoti cuiusdam (Halae Sax. 1719) et his temporibus Osiandri et A. Stahrii utraque Stutgardiae emissa. Dethardingus (Havniae 1747) ex Dana Holbergii interpretatione verterat.

Codicum conspectus.

1. Monacensis Gr. 157 (A) saec. XV.
2. Vindobonensis Gr. 59 (B) saec. XV.
3. Venetus Gr. 389 (V) saec. XV.
   Hi ut eiusdem generis, ubi conveniunt, communi intelleguntur siglo O.
4. Aldina editio a. 1503 (a).
5. Leidensis XXIIl Gron. 88 (g) saec. XI.
6. Laurentianus 70, 17 (l) saec. XV.
   Et hi codices unam formant familiam et congruentes signum habent literam i. Ceterum utramque classem ad unum fontem redire lacunis convincitur per omnes libros similiter exstantibus, quas si Monacensis interdum praebet expletas, primo visu id interpolatorum operae tribueris.
7. Politani versio a. 1493 (P).

Codices, qui adhuc innotuerunt nondum collati, sunt: Laurentiani 57, 45 et 70, 21; Marciani 390 et cl. XI. cod. XIV.; Bruxellensis, plenus is lacunarum: omnes hi quinque saec. XV. Hispaniensem quendam saec. XVII vel XVIII memorat Carolus Graux (archives des missions scientifiques III, 5) et Vindobonensem saec. XVII Aldinae editioni similem Carolus Schenkl (vid. in Philol. Jahrbücher herausgegeben von Jwan von Müller a. 1883 eius de edit. Medelssohniana iudicium).

Liber quintus.

1, 1: *Γενόμενος δὲ ἐν τῇ Ἀντιοχείᾳ ὁ Μακρῖνος ἐπιστέλ-* Ed. Mend.
λει τῷ τε δήμῳ Ῥωμαίων καὶ τῇ συγκλήτῳ, λέγων
τοιάδε· „ἐν εἰδόσι μὲν ὑμῖν τοῦ τε βίου μου τὴν ἐξ 2
ἀρχῆς προαίρεσιν τοῦ τε τρόπου τὸ πρὸς χρηστότητα
ἐπιρρεπές, καὶ τὸ πρᾶον τῆς διοικηθείσης πρότερον
πράξεως, οὐ πολύ τι ἐξουσίας καὶ δυνάμεως βασιλικῆς
ἀποδεούσης, ὅπου γε καὶ αὐτὸς ὁ βασιλεὺς τοῖς ἐπάρ-
χουσι τῶν στρατοπέδων πεπίστευται, περιττὸν νομίζω
μακρηγορεῖν. ἴστε γάρ με καὶ οἷς ἐκεῖνος ἔπραττεν
οὐκ ἀρεσκόμενον, καὶ προκινδυνεύσαντα ὑμῶν ἐν οἷς
πολλάκις ταῖς τυχούσαις διαβολαῖς πιστεύων ἀφειδῶς
ὑμῖν προσεφέρετο. κἀμὲ μὲν κακῶς ἠγόρευε, καὶ 3
δημοσίᾳ πολλάκις τὸ μέτριόν μου καὶ πρὸς τοὺς
ἀρχομένους φιλάνθρωπον διαβάλλων καὶ διασκώπτων
ἐς ῥαθυμίαν καὶ τρόπων χαυνότητα· κολακείαις δὲ
χαίρων, καὶ τοὺς ἐς ὠμότητα παροξύνοντας τῷ τε θυμῷ
τὸ ἐνδόσιμον αὐτοῦ διδόντας τήν τε ὀργὴν διαβολαῖς
ἐγείροντας εὔνους καὶ πιστοὺς ἐδοκίμαζε φίλους. ἐμοὶ
δὲ ἐξ ἀρχῆς τὸ πρᾶον καὶ μέτριον προσφιλές. τὸν 4
γοῦν πρὸς Παρθυαίους πόλεμον, μέγιστόν τε ὄντα καὶ
ἐφ᾽ ᾧ πᾶσα Ῥωμαίων ἐσάλευεν ἀρχή, κατελύσαμεν καὶ
ἐν οἷς ἀνδρείως παραταξάμενοι οὐδέν τι ἡττήμεθα, καὶ
ἐν οἷς σπείσαντες μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐλθόντα
μέγαν βασιλέα πιστὸν φίλον ἀντ᾽ ἐχθροῦ δυσμάχου
ἐποιήσαμεν. ἐμοῦ δὲ κρατοῦντος ἐν ἀδείᾳ τε καὶ ἀναι-
μωτὶ πάντες βιώσονται, ἀριστοκρατία τε μᾶλλον ἢ

5 *βασιλεία νομισθήσεται. μηδέ τις ἀπαξιούτω ἢ τύχης*
πταῖσμα νομιζέτω, ὅτι δὴ ὄντα με ἐκ τῆς ἱππάδος
τάξεως ἐπὶ τοῦτο ἤγαγε. τί γὰρ ὄφελος εὐγενείας, εἰ
μὴ χρηστὸς καὶ φιλάνθρωπος συνοικεῖ τρόπος; τὰ
μὲν γὰρ τῆς τύχης δῶρα καὶ ἀναξίοις περιπίπτει, ἡ
δὲ τῆς ψυχῆς ἀρετὴ ἰδίαν ἑκάστῳ δόξαν περιτίθησιν.
εὐγένεια δὲ καὶ πλοῦτος καὶ ὅσα τοιαῦτα μακαρίζεται
μέν, οὐκ ἐπαινεῖται δέ, ὡς παρ᾽ ἄλλου δοθέντα·
6 *ἐπιείκεια δὲ καὶ χρηστότης ἅμα τῷ θαυμάζεσθαι καὶ*
τῶν ἐπαίνων τὴν ἀναφορὰν ἐς αὐτόν τινα ἔχει τὸν
κατορθοῦντα. τί γοῦν ὑμᾶς ὤνησεν ἡ Κομόδου
εὐγένεια ἢ Ἀντωνίνου ἡ πατρῴα διαδοχή; οἱ μὲν γὰρ
ὥσπερ ὄφλημα κληρονομίας εἰληφότες ἀποχρῶνταί τε
καὶ ἐνυβρίζουσιν ὡς ἄνωθεν ἰδίῳ κτήματι· οἱ δὲ
παρ᾽ ὑμῶν λαβόντες χάριτός τε ἀιδίου εἰσὶ χρεῶσται
καὶ πειρῶνται ἀμείψασθαι τοὺς εὐεργεσίαις προειλη-
7 *φότας. καὶ τῶν μὲν εὐπατριδῶν βασιλέων τὸ εὐγενὲς*
ἐς ὑπεροψίαν ἐκπίπτει καταφρονήσει τῶν ὑπηκόων ὡς
πολὺ ἐλαττόνων· οἱ δὲ ἐκ μετρίων πράξεων ἐπὶ τοῦτο
ἐλθόντες περιέπουσιν αὐτὸ ὡς καμάτῳ κτηθέν, αἰδῶ
τε καὶ τιμὴν ἀπονέμουσιν, ἣν εἰώθεσαν, τοῖς ποτε
8 *κρείττοσιν. ἐμοὶ δὲ σκοπὸς μηδέν τι πράττειν ἄνευ τῆς*
ὑμετέρας γνώμης, κοινωνούς τε καὶ συμβούλους ἔχειν
τῆς τῶν πραγμάτων διοικήσεως. ὑμεῖς δ᾽ ἐν ἀδείᾳ καὶ
ἐλευθερίᾳ βιώσεσθε, ὧν ἀφῃρέθητε μὲν ὑπὸ τῶν εὐπα-
τριδῶν βασιλέων, ἀποδοῦναι δὲ ὑμῖν ἐπειράθησαν
πρότερον μὲν Μᾶρκος ὕστερον δὲ Περτίναξ, ἐξ ἰδιωτι-
κῶν σπαργάνων ἐπὶ τοῦτο ἐλθόντες. γένους γὰρ
ἔνδοξον ἀρχὴν αὐτὸν παρασχεῖν καὶ τῷ ὑστέρῳ γένει
ἄμεινον ἢ κλέος προγονικὸν παραλαμβάνοντα τρόπον
φαυλότητι καταισχῦναι.“

1. *δὲ* omittit 1, in quo *γενόμενος* bis scriptum || 2. senatui populoque Romano P. | 3. *ἐν εὖ εἰδόσι* Leisner; quum satis ipsi cognitum habeatis P. || 7. *ὅπου* —

πεπίστευται deleri voluit Mendelssohn. || *γε] τε* AV. || 13. *πρὸς τοὺς ἀρχομένους* om. P. 14. pro *διαβάλλων* mavult *διέβαλλεν* Mend. itemque *διέσκωπτεν*. || 15. 16. pro *ἐς* libri *εἰς*. || 15. *χαυνότητος* l. || 16. *ὠμότητας* BV; 17. *αὐτοῦ τὸ ἐνδόσιμον* mavult Mend. || 21. *καὶ ἐν οἷς] ἐν οἷς καὶ* A. || 23. *σπείσαντες]* „imo *σπεισάμενοι*. sed tota enuntiati conformatio mihi dubia est“ adn. Mend.; *πείσαντες* coni. Stahl; v. Rhein. Mus. XXXIX p. 209. || *ἐλθόντα μέγα* A. || 24. *πιστὸν* et *δυσμάχου* om. P. || 25. *ἐποιήσαμεν] ἐποιησάμεθα* coni. Leisner. || *τε* a; *μὲν* Vgl. || 29. *ἤγαγε θεός· τί* A. || *οὐδὲν ὄφελος εὐγενείας* — 37. *κατορθοῦντα* hab. Macarius || 30. *τὰ* — *περιπίπτει* „mihi dubia“ adn. Mend. 32. *ἰδίαν δόξαν ἑκάστῳ* l. || 36. 44. *εἰς* libri. 38. *ἢ ἡ πατρῴα* O, *ἡ* om. A. || 40. *ὑβρίζουσιν* A. || 42. *πειρῶν ἀμείψεσθαι* BV. || 44. *ἐς* om. V. saepenumero in superbiam vertit P. || *ὑπηκόων] πολλῶν* A. || 45. *ἐπί] εἰς* a. || 46. *αὐτὸ* om. O. || quasi partum labore tuentur semper verenturque P. || 48. *ἐμὸν δὲ* B. || 50. *δ' ἐν* B; *δὲ* V; *μὲν* A. *δὲ ἐν* i, vulgo. || 53. *πρότερον] πρῶτον* BV.

1, 2. *ὅπου γε* — *πεπίστευται]* Mendelssohn mavult deleri; qua causa non satis intellegitur, cum neque ex sententia neque ex genere dicendi, quod omnino verbosum est, quidquam offendere videatur. An quod speciosa hic magis quam vera causa introducitur? Sed hoc facile indulgebimus nostro declamanti ea, quorum primum exemplum affere non potuit. Ceterum si expunxeris, haudscio an desideretur sententia, cum quae legimus Macrinum praefectum non ita multum ab imperatoria abfuisse potestate, summam admittant dubitationem, si quidem ea in universum dicta acceperis. Conferatur enim, quod ipsius praefecturae collegam habuit Adventum (IV, 12, 1), quod ipse minime laudatus fuit Caracallo (ibid.), quod Maternianus potius hunc summum post imperatorem locum obtinuisse dicitur (IV, 12, 4);

nec minus huc spectare videtur, quod infra lamentatur principem adulatores sibi praetulisse.

1, 3. *διαβάλλων καὶ διασκώπτων]* Antefert lectionem *διέβαλλε* itemque *διέσκωπτε* Mendelssohn, quae mutatio quum non necessaria est, tum aequabilitatem destruit totius enuntiati. Etenim sibi respondent *διαβάλλων καὶ διασκώπτων* et *χαίρων* insequentis sententiae, nec minus *ἠγόρευε* et *ἐδοκίμαζε*.

1, 5. *τὰ μὲν γὰρ τῆς τύχης . . . περιπίπτει]* addubitavit Mendelssohn, quae num deesse possint videamus. Scripsit igitur Opelius: ne quis indignum haberet neve lapsum fortunae, quod ipse ex equestri ordine ad tantum ascendisset fastigium, et causam supposuit, quod omnino nobilitas loci eaque sola sine honestate et benignitate morum nulli nullam adferret utilitatem. Verum tamen et haec sententia argumentum sibi postulat, maxime apud eos, quos in creando principe magis nobilitatem respicere ipse suspicatur Macrinus. Quod argumentum num secundum Mendelssohnium inveniri possit in verbis solis illis *„ἡ δὲ τῆς ψυχῆς ἀρετὴ ἰδίαν ἑκάστῳ δόξαν περιτίθησιν"*, mihi dubium videtur. Quamquam coniungamus: Nobilitas eaque sola nullam vobis — hoc fere supplendum est — adfert utilitatem, quod animi virtus suam cuique propriam condit gloriam. Quam sententiam forsitan quoad sensum recte habeas dictam, at certe obscura est et minime digna qua floret ubivis noster simplicitate.

Sed etiam totius enuntiati conformatio severissime postulat, ut addubitata illa retineamus. Nam cum praeposuerit auctor principalem sententiam: *„τί γὰρ ὄφελος εὐγενείας, εἰ μὴ χρηστὸς καὶ φιλάνθρωπος συνοικεῖ τρόπος;* eamque infra exemplis illustret: *„τί γοῦν ὑμᾶς ὤνησεν ἡ Κομόδου εὐγένεια ἢ Ἀντωνίνου ἡ πατρῴα διαδοχή;"* et illam sententiam et haec exempla binis in-

structa animadvertimus argumentis bimembribus, ut verbis *τὰ μὲν γὰρ τῆς τύχης . . . περιπίπτει* deletis etiam totius haec deleta sit enuntiati ordinatio.

Epistula Macrini partes continet quattuor, quarum

I. initium ducit ex commendatione morum ipsius;

II. quae contra Parthos gesserit, explicat;

III. invidiam a se defendit, quod ex equite imperator factus sit;

IV. quomodo imperaturus sit, demonstrat.

Quae epistula cum in senatu recitata esset, id tantum effecit, ut magis de morte Antonini laetarentur senatores quam quod Macrinus successit. Mirum autem, quod neque hic neque ullo alio loco compositi Parthici belli mentio habetur, si quidem maximum erat bellum et quo totum aestuaret imperium Romanum. Inde coniectura probatur neque in epistula bellum Parthicum commemoratum fuisse, quam si accuratius persequeris, et alia occurrent, quibus confirmetur. Et primum quidem secunda pars, quae omnia ad hoc bellum spectantia continet, ineptius priori parti adnexa est. Etenim cum hac tenus Macrinus de moribus suis egerit, Parthicum bellum subito ingruit tanquam ex nubibus arreptum et id quidem ea adhibita coniunctione (*γοῦν*), ut, si quis ab hoc tantum loco epistulam legerit, non possit non opinari iam dudum de hoc bello tractatum esse. Accedunt nonnulla, quae ab genere dicendi Herodiano solito abhorrere videantur. Pendas, quod *σπείσαντες* summo codicum consensu exhibetur pro *σπεισάμενοι* (conferas IV, 15, 9), *ἐποιήσαμεν* pro *ἐποιησάμεθα*; addas, quod et huius enuntiati (*τὸν γοῦν πρὸς Παρθναίους πόλεμον . . . ἐποιήσαμεν*) cum insequente sententia coniunctio solutius facta est, quod haec verba *ἐν ἀδείᾳ . . βιώσονται* infra repetuntur (videas 1, 8), illud autem incruentum imperium laus est Alexandro Severo tributa (conferas VI,

1, 7. 9, 8), quod illa „*ἀριστοκρατία τε μᾶλλον ἢ βασιλεία νομισθήσεται*" item, si non verbo tenus, at certe circumscripta infra iterum occurrunt, cum legas „*ἐμοὶ δὲ σκοπὸς μηδέν τι πράττειν ἄνευ τῆς ὑμετέρας γνώμης, κοινωνούς τε καὶ συμβούλους ἔχειν τῆς τῶν πραγμάτων διοικήσεως* (1, 8)", quod denique, cum quomodo respublica optumas magis quam principatus unius incruentum imperium promittat non intellegatur, etiam has sententias „*ἐμοῦ δὲ κρατοῦντος ἐν ἀδείᾳ τε καὶ ἀναιμωτὶ πάντες βιώσονται*" et „*ἀριστοκρατία τε μᾶλλον ἢ βασιλεία νομισθήσεται*" inepte coniunctas esse cognoscimus: facile haud scio an firmetur coniectura, qua supra interpolatoris alicuius hic operam exstare collegimus. Itaque *τὸν γοῦν πρὸς Παρθυαίους . . . νομισθήσεται* i. e. epistulae secundam partem secludendam esse censeo.

2, 4. (Macrinus) *προῄει τε πόρπαις καὶ ζωστῆρι καὶ χρυσῷ πολλῷ καὶ λίθοις τιμίοις πεποικιλμένος, τῆς τοιαύτης πολυτελείας παρὰ τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις οὐκ ἐπαινουμένης, βαρβάρου δὲ μᾶλλον καὶ θελυπρεποῦς εἶναι δοκούσης.*

1. *τε* om. A || *πόρταις* V || *ζωστῆρι] ζωστῆρσι* coni. Sylburgius. || 2. *καὶ χρυσῷ* A, *χρυσῷ τε* Nauck in Mélanges Gréco-Romains t. II, livr. 3, pag. 231, *χρυσῷ* BV i, vulgo || *πεποικιλμένος* O, *πεποικιλμένοις κεκοσμημένος* i, vulgo; Nauck l. d. ita disputat: „Statt der hässlichen Interpolation *πεποικιλμένοις κεκοσμημένος*, die selbst für das Ohr kaum erträglich ist, bietet der Venetus das einfache und allein angemessene *πεποικιλμένος*, wonach *χρυσῷ* in *χρυσῷ τε* zu ändern ist. || 3. *παρὰ τοῖς Ῥωμαίων στρατιώταις]* „imo *παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις*" adn. Mend. || 4. *ἐπαινούμενος* l. || 5. *εἶναι* om V.

Quod Mendelssohn emendavit *παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις*, non accipiendum esse puto. Nam qualemcunque habitus magnificentiam Romanis, quales tum erant, laudatam

fuisse, iam inde verisimile evadit, quod Macrinus tali vestimentorum apparatu ornatus prodiit. Huc accedit, quod quum et Romanos veros atque ingenuos inter omnes constat illis temporibus nimio cultu et morum elegantia infamatos, tum civitatem Romanam iam ab imperatore Marco omnibus in circuitu totius imperii Romani liberis natis concessam et deinde ab Caracallo tributorum exigendorum causa severissime inculcatam esse, quo facto quarumlibet gentium morum et vitae barbaries in nomen Romanum ingruere debuit. Minime igitur quam nominat noster aversationem sumptuum Romanis civibus, immo vero militibus Romanis imputandam esse censeo, quos nuperrime Caracallus et exempli et disciplinae rigore ad speciem quandam pristinae Romanae virtutis revocaverat. Id quod non solum vox *στρατιῶται*, sed etiam totius fere enuntiati sensus paulo post quamquam aliis verbis expressus iterum occurrit, verbositati nostri tribuendum sit. Forsitan particula *δὴ* post *ἅπερ* desideretur, ut sententiae structura ingenua et, ut ita dicam, Herodianissima evadat.

2, 5. *ἅπερ ὁρῶντες οἱ στρατιῶται οὐ πάνυ τι ἀπεδέχοντο, ἀπηρέσκοντό τε αὐτοῦ τῷ βίῳ ὡς ἀνειμένῳ μᾶλλον ἢ κατ᾽ ἄνδρα στρατιωτικόν· παραβάλλοντες δὲ τὴν μνήμην τῇ Ἀντωνίνου διαίτῃ ἐπιστρεφεῖ τε καὶ στρατιωτικῇ γενομένῃ, κατεγίγνωσκον τῆς Μακρίνου πολυτελείας.*

1. *τι] τοι* AV || 3. *κατ᾽] κατὰ* AV || 4. *τῇ] τοῦ* 1, *τῆς* A. || *ἐπιστρεφεῖ] ἐπιστραφεῖ* B, *ἐπιστραφείσῃ* AVi, *ἐπιστρεφεῖ* coni. Stephanus: „pro *ἐπιστραφείσῃ* dubium esse non potest, quin *ἐπιστρεφεῖ* scribendum sit, si hic dativi locum habeant ac non mutandi sint in genitivos hoc modo *παραβάλλοντες δὲ τὴν μνήμην τῆς Ἀντωνίνου διαίτης, ἐπιστρεφοῦς τε καὶ στρατιωτικῆς γενομένης.*“ Strothius autem ita: „suspectum videtur *μνήμης* vocabulum, nisi

vertere velis adplicantes memoriam vitae consuetudini Antonini, quod tamen durum foret; vel, quod melius est, nisi *κατὰ* ad *τὴν μνήμην* intelligas, atque accusativum eius rei quae comparatur omissum vel in *βίῳ* vel in *πολυτελείας* latere putes.“ *παραβάλλοντες δὲ τῇ μνήμῃ τὴν Ἀντωνίνου δίαιταν, ἐπιστραφεῖσάν τε καὶ στρατιωτικὴν γενομένην* coni. Irmiscus, haerens tamen in voce *τῇ μνήμῃ*, pro qua magis velit *τῇ γνώμῃ*. — *παραβάλλοντες δὲ τὴν μνήμην τὴν Ἀντωνίνου* <*ἐν*> *διαίτῃ ἐπιστρεφοῦς τε καὶ στρατιωτικοῦ γενομένου* coni. Mend.‖ 5. *κατεγίγνωσκον* gl, *κατεγίνωσκον* Oa vulgo.

Quod codices exhibent *ἐπιστραφείσῃ* vocabulum, recte Stephanus immutavit in *ἐπιστρεφεῖ*, cum saepissime verbi *ἐπιστρέφειν* participio perfecti passivi contextu sermonis sensus tribuitur, quo hoc loco ad rectam sententiam opus est „severus, tetricus, austerus“, nunquam vero participio aoristi passivi. Quae praeterea hic emendata sunt, eiusdem Stephani praetulerim coniecturam primam quippe simplicitate ingenuitatis specie ornatam quam Mendelssohnii, qui Stephani viam persequens magis tamen et id quidem nulla re cogente ab auctoritate codicum devertit. Verum tamen cum Strothio et Irmisco haeret animus in vocabulo *τὴν μνήμην* inde ratus omnem huius loci difficultatem et obscuritatem exstitisse. Namque cum verbum *παραβάλλειν* ubique et dativum sibi postulet et accusativum, dativo *τῇ Ἀντωνίνου διαίτῃ ἐπιστρεφεῖ τε καὶ στρατιωτικῇ γενομένῃ* nemo est qui offendatur; at accusativus *τὴν μνήμην* non item facile intellegitur. Ecquidem hic *ἐκείνην* exspectabam vel *τὴν ἐκείνου*; lectionem autem *τὴν μνήμην* dixerim ex adnotatione *τὴν ἀνειμένην* (conferas supra *ὡς ἀνειμένῳ μᾶλλον κτλ.*) corruptam in textum irrepsisse, qua quo spectaret vox *ἐκείνην* vel *τὴν ἐκείνου* significabatur.

3, 5. *λίθος δέ τις ἔστι μέγιστος, κάτωθεν περιφερής, λήγων ἐς ὀξύτητα· κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά. διιπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσιν, ἐξοχάς τέ τινας βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν, εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες.*

2. *λῆγον* BV || *ἐς]* *εἰς* libri || 3. *διιπετῆ* A, *διηπετῆ* BV, *διοπετῆ* i || *τε* om. A. || 5. *οὕτω βλέποντες* om. P. „bene“ adn. Mend.

κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα] interpolatum mihi videtur alicuius, qui acumini legentium importune subvenire voluit. Hanc rem ita se habere iam inde verisimile est, quod *κωνοειδὲς κτλ.* sine particula coniunctiva contra, ut opinor, consuetudinem scriptoris adicitur.

Deinde variae exstant huius loci de extremis vocibus *οὕτω βλέποντες* variorum sententiae. Et Stephanus quidem explicat „ita suis ipsorum oculis persuadentes.“ Sed quomodo subdere possimus verbo *βλέπειν* sensum oculis suis persuadendi non video, exempla autem eiusmodi usus certa causa, quoniam non inveniuntur, non attulit. Reiskius autem cum simili modo adnotet: „nam cum eiusmodi certa persuasione ad intuendum hunc lapidem accedunt“, nimis adverbium *οὕτω* onerare videtur. Quae cum Gedikius priora intellegendi conamina item dura aestimaret, ut ita legeretur, commendavit: „*οὕτω βλέπειν θέλοντες*“, usus similibus locis V, 4, 6: *βλέπειν γὰρ οὕτως ἤθελον* et V, 6, 10: *σελήνην εἶναι θέλοντες* et VIII, 3, 19: *Ἀπόλλωνα εἶναι θέλοντες.* Sed „quis ferre posset istam verbi *θέλειν* repetitionem, quae praeterea nihil nisi unam eandemque sententiam efficeret; esse volunt, quia sibi ita videri volunt.“ Recte haec Strothius dicit, quamvis Gedikius respondeat: „*θέλειν* priori loco esse idem quod *λέγειν,* altero autem loco — *βλέπειν θέλοντες* — usitatiorem cupiendi significatum

habere"; nam utroque modo haec verbi *βλέπειν* repetitio, quia aures iam eam respuunt, molesta est.

Idem denique Strothius locum illum V, 4, 4 „*οἱ δὲ πιστεύσαντες Ἀντωνίνου τε εἶναι τέκνον καὶ ὁμοιότατόν γε (βλέπειν γὰρ οὕτως ἤθελον) τοῦ μὲν Ἰουλιανοῦ τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνουσι καὶ πέμπουσι τῷ Μακρίνῳ κτλ.*" ut iam antea Gedikius in subsidium vocans hic verbo *βλέπειν* signficationem *τοῦ φαίνεσθαι,* specie aliqua esse, postulat recte mea quidem sententia. Nam si aspiciendi vel agnoscendi defendes significationem, non poteris non reponere lectionem *βλέπειν γὰρ τοιοῦτον ἤθελον.* Strothii autem ad interpretationem et exempla spectare videntur; etenim conferas communem loquendi formulam *ἐχθρῶς, φιλοφρόνως βλέπειν* et Arist. Èquit. 631:

— *ἡ βουλὴ δ' ἅπασ' ἀκροωμένη*
ἐγένεθ' ὑπ' αὐτοῦ ψευδοτραφάξυος πλέα
631. *κἄβλεψε νᾶπυ καὶ τὰ μέτωπ' ἀνέσπασεν.*

et Pind. Nem. IV, 35:

39. *φθονερὰ δ' ἄλλος ἀνὴρ βλέπων*
γνώμαν κενεὰν σκότῳ κυλίνδει
χαμαιπετοῖσαν.

Quorum si rationem habueris, *βλέπειν γὰρ οὕτως ἤθελον* stare videbitur pro *βλέπειν γὰρ ὁμοιότατα ἤθελον.*

„Quidni quoque in nostro loco *βλέποντες* pro *φαίνεται αὐτοῖς* positum sit, praesertim quum hoc verbo simul derideat scriptor hominum istorum opinionem?" Huc usque cum Strothium secutus sim, et id item me sentire fateor cum aliquo aculeo hic nostrum perorare, sed quomodo ei concedam *οὕτω βλέποντες* idem esse quod *φαίνεται αὐτοῖς*, non habeo. Quinam hoc *φαίνεται αὐτοῖς* constructioni enuntiati inserendum esset? Atqui ex inquisitione similis loci V, 4, 4 haud dubie infinitivo *βλέπειν* significationem *τοῦ φαίνεσθαι* repperimus. Itaque, si rectam rationem adhibueris, quid aliud *βλέποντες* esse

potest nisi *φαινόμενοι*? At hercule ita profecto a recta via aberramus. Non dubito eiusdem V, 4, 4 loci respectu habito hic emendare *οὕτω βλέποντος,* ut igitur vertendum sit: „imaginem infectam esse affirmant Solis, cum talem aspectum praebeat.“

3, 8. *ἱερουργοῦντα δὴ τοῦτον* (i. e. Basianum), *περί τε τοῖς βωμοῖς χορεύοντα νόμῳ βαρβάρων ὑπό τε αὐλοῖς καὶ σύριγξι παντοδαπῶν τε ὀργάνων ἤχῳ, περιεργότερον ἐπέβλεπον οἵ τε ἄλλοι ἄνθρωποι καὶ μάλιστα οἱ στρατιῶται, εἰδότες γένους ὄντα βασιλικοῦ, καὶ τῆς ὥρας αὐτοῦ πάντων τὰς ὄψεις ἐς ἑαυτὴν ἐπιστρεφούσης.*

2. *βαρβάρων]* *βαρβάρῳ* coni. Lange. || 3. *παντοδαποῖς ὀργάνων* A || *ἤχως* l. || 4. *ἐπέβλεπον]* *ἔβρεπον* V. || 5. *καὶ — ἐπιστρεφούσης* „fortasse spuria“ adn. Mend. || 6. *ἐς]* *εἰς* libri.

Mendelssohn quae postremo addita sunt verba *καὶ τῆς ὥρας αὐτοῦ πάντων τὰς ὄψεις ἐς ἑαυτὴν ἐπιστρεφούσης* spuria esse putavit, neque ego alias sentirem, si mihi persuaderi posset quae antecedunt *εἰδότες γένους ὄντα βασιλικοῦ,* tanquam causam adferrent ad adverbium *μάλιστα,* ad solos milites esse referunda. Ineptissime enim id, quod de ambobus dicitur subiectis, ei adiungeretur, quod ad alterum tantum relationem haberet. Sed mihi quidem nihil esse videtur, quod illam opinionem admittat. Namque non solum milites Basianum imperatoriae familiae proximum esse novisse debuerunt, immo haec notitia multo magis ceteris urbis incolis imputanda est, ut, si verbis *εἰδότες γένους ὄντα βασιλικοῦ* ad milites tantum revocaveris, haudscio an sensus corruptio fiat magna. Sin autem et hoc participium coniunctum *εἰδότες κτλ.* et illud absolutum *καὶ τῆς ὥρας . . . ἐπιστρεφούσης* utrumque spectat et ad milites et ad ceteros incolas, iam nihil est, ut opinor, quod amplius offendat.

3, 11. *τῇ δὲ Μαίσῃ ἐλέγετο σωροὺς εἶναι χρημάτων, ἐκείνην δὲ ἑτοίμως προέσθαι πάντα τοῖς στρατιώταις, εἰ τὴν βασιλείαν τῷ γένει ἀνανεώσαιντο. ὡς δὲ συνέθεντο νύκτωρ, εἰ κατέλθοιεν λαθόντες, ἀνοίξειν τὰς πύλας καὶ δέξεσθαι πᾶν τὸ γένος ἔνδον βασιλέα τε καὶ υἱὸν ἀποδείξειν Ἀντωνίνου, ἐπέδωκεν ἑαυτὴν ἡ πρεσβῦτις κτλ.*

1. *μέσῃ* BV. || 2. *δὲ]* *μὲν* V. „malim *τε* cum P." adn. Mend. || *ἑτοίμως ἔχειν* coni. Mend. coll. VII, 3, 6. || *προέσθαι πάντα* O, *πάντα προέσθαι* i, *πάντα ἂν προέσθαι* aut *πάντα προήσεσθαι* coni. Steph., *πάντ' ἂν προέσθαι* Bekker. || 3. *ἀνανεώσαιντο* O, *ἀνανεώσαιτο* i, vulgo; Nauck, Mélanges Gréco-Romains: „Maesa konnte vernünftiger Weise nur dann geneigt sein ihr ganzes Vermögen den Soldaten zu überlassen, wenn diese, die Soldaten, ihr einen Dienst geleistet hatten. Mit andern Worten, statt des sinnlosen *ἀνανεώσαιτο* ist nothwendig *ἀνανεώσαιντο* zu schreiben." idem antea Sylburgius. || „ante *ὡς* lacuna?" adn. Mend. || *συνέθετο* i || „si noctu clanculum in castra venisset" P. || 5. *δέξασθαι* AVag || 5. *καὶ]* *τὸν* vertit Pol. || 6. „post *Ἀντωνίνου* desidero *τὸν Βασιανόν*" Mend.

πάντ' ἂν προέσθαι correxit Bekker et idem fere iam antea Stephanus proposuerat. Sed militum tam subito defectionis consilio tam coniuncte elatae promissiones minus convenire videntur. Itaque idem Stephanus *προήσεσθαι* et nuperrime Mendelssohn *ἑτοίμως ἔχειν προέσθαι* coniecerunt videlicet uterque futurum tempus desiderantes aut saltem verbum eius condicionis, ut futuri vice fungatur. Sed aoristi infinitivum etiam futuri partes suscipere posse permulta docent exempla et ex ipso sumpta Herodiano, quorum nonnulla Stephanus, quae ille reliquerat, Mendelssohn sibi corrigere videbantur, cum futurum perverse reponerent, si quidem „Herodiano solenne

est et post verba *ἐλπίζειν, προςδοκᾶν, δεῖσθαι* aoristo pro futuro uti“ (Leisner). Conferas autem IV, 15, 7—8, ut unum ex multis afferam: „*πέμπει* (sane Macrinus) *πρεσβείαν ἐπιστέλλει τε Παρθυαίῳ λέγων τὸν μὲν περὶ τὰς σπονδὰς καὶ τοὺς ὅρκους ἀδικήσαντα βασιλέα τεθνηκέναι δίκας τε ἀξίας ὧν ἔδρασε δεδωκέναι, Ῥωμαίους δὲ, ὧν ἐστὶν ἡ ἀρχή, ἑαυτῷ τὰ τῆς βασιλείας ἐγκεχειρικέναι· μήτε δὲ ἀρέσκεσθαι τοῖς πραχθεῖσιν, αἰχμαλώτους τε τοὺς περιόντας ἀποδοῦναι, χρήματά τε ὅσα ἡρπάγη ἀποτῖσαι, φίλῳ τε ἀντὶ ἐχθροῦ χρῆσθαι καὶ τὴν εἰρήνην ὅρκοις καὶ σπονδαῖς βεβαιῶσαι.*

Eodem modo aoristum adhiberi et ceteri recentes Graecitatis scriptores testes sunt, ex quibus liceat nominare Lucam (ev. 2, 26: *καὶ ἦν αὐτῷ κεχρηματισμένον ὑπὸ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, μὴ ἰδεῖν θάνατον πρὶν ἢ ἂν ἴδῃ τὸν Χριστὸν κυρίου.* — 6, 34: *καὶ ἐὰν δανίσητε παρ᾽ ὧν ἐλπίζετε λαβεῖν, ποία ὑμῖν χάρις ἐστίν;* — 23, 8. act. 26, 7), Paulum (ad Rom. 15, 24: *ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς.*), Dionem Cassium (40, 56, 3: *πάντως γὰρ οἵ τι δυνάμενοι καὶ ἐκεῖνο ψηφισθῆναί σφισι διαπράξασθαι ἔμελλον.*), Claudium Aelianum (v. hist. 14, 49. p. 991, e; 12, 1. p. 708 m; 13, 20. p. 883) nec non optimi antiquorum; videas quae C. G. Krueger composuit exempla in griechische Sprachlehre § 53, 6, 9, ubi ita disserit: „Der Infinitiv des Aorists bezieht sich am gewöhnlichsten in der Bedeutung des Indicativs auf die Vergangenheit: *ποιῆσαι* gethan haben. Doch kann auch er zeit- und dauerlos überhaupt das Eintreten einer Handlung, selbst einer künftigen, bezeichnen; ohne *ἄν* besonders da, wo Zuversicht anzudeuten ist.“

Nonne post *ἀνανεώσαιντο* lacuna notanda sit, interrogat Mendelssohn. Nego. Nam postquam dictum est Maesam omnes sumptus posituram, dummodo generi suo imperium redintegraret, nihil opinor mirandum, quod

milites, quo erant Macrini taedio et donativi cupiditate incensi, statim ei restaurandam imperatoriam dignitatem sunt polliciti. Verbum autem *συντίθεσθαι* pollicendi vim habere posse a Xenophonte firmatur; v. Hell. 3, 5, 6: *ἐκεῖσε δὲ καὶ Παυσανίας, ὅσπερ ἔμελλεν ἡγεῖσθαι, συνετίθετο παρέσεσθαι εἰς ῥητὴν ἡμέραν κτλ.* At hoc forsitan mirum videatur, quod, cum antea finis tantum rei agendae nominatus sit verbis *εἰ τὴν βασιλείαν τῷ γένει ἀνανεώσαιντο,* hic iam ratio et modus agendi describitur. Verum tamen hoc ipsum non sine iusta causa ab nostro ita dispensatum est, si quidem non potius Maesam, quamvis principem, quam milites ipsos, in primis autem Maesae istos clientela adnexos hanc coniurationem conflasse apparet.

Post *Ἀντωνίνου* Mendelssohn desiderat *τὸν Βασιανόν* neque mihi sine aliquo obiecto haec pars enuntiati *βασιλέα τε καὶ υἱὸν ἀποδείξειν Ἀντωνίνου* tolerari posse videtur. Sed quoniam adverbium *ἔνδον* post *δέξεσθαι*, si non molestum, at certe supervacaneum est, in hoc eorum, quae desideramus, reliquias extare conicio, ut legendum sit *καὶ δέξεσθαι πᾶν τὸ γένος, τὸν δὲ Βασιανὸν βασιλέα τε καὶ υἱὸν ἀποδείξειν Ἀντωνίνου.* Nomen autem *Βασιανὸν* per haplographiam quandam primum excidisse putandum sit, quo facto *τὸν δὲ* facillime seu false legendo seu false emendando in *ἔνδον* immutari potuit.

4, 3. *ὡς δ' ἦλθεν Ἰουλιανός (τοῦτο γὰρ ὄνομα ἦν τῷ ἐπάρχῳ) καὶ προσέβαλε τοῖς τείχεσιν, οἱ ἔνδοθεν στρατιῶται ἀνελθόντες ἐπί τε τοὺς πύργους καὶ τὰς ἐπάλξεις τόν τε παῖδα τῷ ἔξωθεν πολιορκοῦντι στρατῷ ἐδείκνυσαν, Ἀντωνίνου υἱὸν εὐφημοῦντες, βαλάντιά τε χρημάτων μεστὰ δέλεαρ προδοσίας αὐτοῖς ἐδείκνυσαν.*

2. *προσέβαλε* A, *προσέβαλλε* BV i || *οἱ ἔνδοθεν* Joannes Antiochenus, *ἔνδοθεν* (*ἔνδον* A) *οἱ* O i vulgo || 4. *πολιορκοῦντι* om. Jo. || 5. *βαλλάντια* g || *τε* Jo. et

P., δὲ Oi | 6. *μεστὰ] μετὰ* a, unde *μέγα* in multis editionibus factum; *βαλάντιά τε χρημάτων μεστά, μέγα δέλεαρ κτλ.* Irmiscus || *ἐδείκνυσαν] ἐπεδείκνυον* Jo, attollentes vertit P., *προὔτεινον* coni. Bekker.

Molestissime in finibus utriusque partis huius enuntiati codicibus manu scriptis traditur *ἐδείκνυσαν*, quae res, quamquam Irmiscus laude gratae negligentiae exornat, varios excitavit emendandi conatus. Et Joannes quidem Antiochenus altero loco *ἐπεδείκνυον* exhibet, quo cum difficultatem huius loci aliquantulum solvat, tamen emendando potius quam describendo ad hanc lectionem eum pervenisse iam inde verisimile evadit, quod etiam prius verbum *ἐδείκνυσαν* in *δεικνύουσιν* immutavit. Politianus autem vertit: „sacculos quoque nummorum plenos, escam scilicet proditionis, attollere", qui cum et alias rhetorem magis agat quam interpretem, et hic eum magis sensum quam literam secutum esse puto, si quidem lectio *αὐτοῖς ἐδείκνυσαν* vetustissima est, ut et iam Joannes eam potuerit emendare, et summo codicum consensu firmatur. Quod autem de Politiano dicendum est, idem in Imm. Bekkerum cadere videtur, qui quod ille Latine dederat in secunda editione Herodiani in Graecam rettulit linguam scribens *προὔτεινον,* quo longius abscedit ab auctoritate codicum. Minime enim id crediderim per dittographiam verbum *ἐδείκνυσαν* posterius movens loco suo ingenuam scripturam inrepsisse, sed veram adhuc exstare lectionem quamquam depravatam, ut *ἐδείκνυσαν* immutato in *ἐδίδοσαν* i. e. offerebant pristinam manu scriptorum librorum fidem mihi restituisse videar.

4, 6. *συμμίξαντα δὲ ἀλλήλοις τὰ στρατόπεδα Φοινίκης τε καὶ Συρίας ἐν μεθορίοις, οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίνου προθύμως ἠγωνίζοντο, δεδιότες, εἰ ἡττηθεῖεν, τὴν ἐφ' οἷς ἔδρασαν τιμωρίαν ἀναδέξασθαι, οἱ δὲ σὺν τῷ*

Μακρίνῳ ῥαθυμότερον προσεφέροντο τῷ ἔργῳ, ἀποδιδράσκοντες καὶ μετιόντες πρὸς τὸν Ἀντωνῖνον.

1. *συμμίξαντες* A || *δὲ* om. l. || *στρατεύματα* l. || 2. *ὑπὲρ* „deleverim cf. pag. 87, 7." adn. Mend., ubi ita: *οἱ μὲν τοῦ Σεβήρου ἐπερρώσθησαν* || 4. *ἀναδέξασθαι]* *δέξασθαι* A „fortasse vocabulum delendum" adn. Mend.

Mendelssohn cum praepositionem *ὑπὲρ* ante *τοῦ Ἀντωνίνου* velit deleri, haudscio an nemo eum sequatur, et quod adfert sibi auxilium ex III, 7, 5, quid hoc sibi velit, prorsus non intellego. An ita probetur dici posse *οἱ μὲν τοῦ Ἀντωνίνου*? Nemo dubitabit et ipse acquiescerem, si ita codices exhiberent. At id potius probandum erat dici non posse: *οἱ μὲν ὑπὲρ τοῦ Ἀντωνίνου προθύμως ἠγωνίζοντο.* Quamquam suspicor Mendelssohnium ob eam maxime causam ita coniecisse, quod, postquam exercituum alter voce *οἱ μὲν* designatur, alter deinde nomine adiuncto *οἱ δὲ σὺν τῷ Μακρίνῳ,* consentaneum erat et priorem nomine proprio addito significari. Sed nihil est, quod me commoveat, quoniam, si res in duas partes divisa est, satis dilucide disputatur, dummodo alteram definias.

4, 8. *ὁ δὲ στρατὸς ἑκατέρωθεν ἐμάχοντο, ὑπὲρ μὲν τοῦ Μακρίνου οἱ σωματοφύλακες καὶ οἱ δορυφόροι, οὓς δὴ πραιτωριανοὺς καλοῦσιν κτλ.*

1. *μὲν* „addidi ex A" adn. Mend. || 2. *καὶ οἱ* A l, *καὶ δορυφόροι* B V a g vulgo.

Contra auctoritatem optimorum codicum B V Mendelssohn recepit lectionem, quam A et l exhibent manu scripti libri uterque vilioris generis et plurimis locis interpolationibus depravati. Itaque cum de his scripturis iam decidendum sit, in eo quaestio verti videtur, utrum praetoriani satellites tantum fuerint i. e. *δορυφόροι* neque custodes corporis i. e. *σωματοφύλακες* an duplex hoc munus gesserint et satellitum et corporis custodum,

si quidem id efficit articuli *οἱ* ante *δορυφόροι* iniectio, ut relativae sententiae vis nomini *δορυφόροι* tantum adstringatur et alterum *οἱ σωματοφύλακες* aliud significet militiae genus ab officiis praetorianorum diversum. Sed iam mente satellitis et custodis corporis munera difficile discernuntur neque antiquarum rerum scientia contra sentienti subsidia, opinor, subministrabit. Quare in scriptura meliorum codicum *οἱ σωματοφύλακες καὶ δορυφόροι* acquiescendum esse puto.

4, 9. *οὔτε γὰρ μάχεσθαι ἤθελον ὑπὲρ τοῦ μὴ παρόντος, παραδοῦναί τε αὑτοὺς ἐκδότους καὶ ὥσπερ αἰχμαλώτους ᾐδοῦντο.*

2. *τε* A, *δὲ* BV i et Steph. || *ἐκδότους καὶ ὥσπερ αἰχμαλώτους]* „deleverim" adn. Mend. || *καὶ* om BV l.

Stephanus eumque secutus Mendelssohn lectionem unius codicis A *παραδοῦναί τε* in textum receperunt, si recte puto, praecedente particula *οὔτε* commoti, cui particulam *τε* aptius quam *δὲ* respondere censebant. Sed particulis *τε* vel *οὔτε* praemissis interdum in subsequente orationis parte subici *δέ* C. G. Krueger docet in griechische Sprachlehre § 69, 16, 6. ita dicens: „Wie *μέν* und *δέ* entsprechen sich zuweilen auch *τέ* — *δέ*, *οὔτε* — *δέ*, indem von der Koordination *(τέ)* zum Gegensatze übergegangen wird."

Idem Mendelssohn *ἐκδότους καὶ ὥσπερ αἰχμαλώτους* deleri voluit. Quibus deletis quae contingat interpretatio, non ita dilucidum mihi esse videtur. Id enim prorsus non intellegitur, quomodo se dedere potuerint praetoriani — si quidem se dediderunt —, quamquam se dedere eos puduerat? Sed iam apparet non id milites repudiavisse, immo vehementissime concupivisse, ut se aequis condicionibus dederent, sed id timuerunt, ne pro captivis haberentur. Unde patet *ὥσπερ αἰχμαλώτους* nullo pacto abici posse. Quod autem antecedit *ἐκδότους* non eadem

lege cum *ὥσπερ αἰχμαλώτους* coniungendum, sed arctissime verbo *παραδοῦναι* adnexum est, quocum quasi in unam coaluit locutionem. Huius autem loquendi consuetudinis et apud alios scriptores inveniuntur exempla, quae plurima Irmiscus in Herodiani edit. tom. III. pag. 116 adscripsit: Dio Cass. 1034, 43. *πάντας Ἡλίῳ ἐκδότους παρέδωκε*; Diod. Sic. 2, 11. *τῷ βασιλεῖ παραδεδόσθαι ἐκδότους* etc. Codicum igitur meliorum BV sequendam esse fidem puto, qui tradunt: *παραδοῦναι δὲ αὐτοὺς ἐκδότους ὥσπερ αἰχμαλώτους ἥδοῦντο.*

4, 12. *τέλει τε ἐχρήσατο* (scil. Macrinus) *αἰσχρῷ ὕστερον θελήσας ἐς τὴν Ῥώμην ἀνελθεῖν, δέον ἐν ἀρχῇ τοῦτο ποιῆσαι.*

2. *ἀνελθεῖν] ἐλθεῖν*? Mend.

Mendelssohn coniecit *ἐλθεῖν* pro *ἀνελθεῖν* rebus contra spectantibus. Recte enim iam Politianus interpretatus est „qui Romam reverti post voluerit." Macrinum autem Romae magistratus obiisse et deinde Antoninum Caracallum comitatum esse et Dio Cassius testatur (l. LXXVIII, 11) et Julii Capitolini firmatur testimonio (Macr. VI, 2: „Vellemus p. c. et incolumi Antonino nostro et revecti cum triumpho vestram clementiam videre etc.) neque noster ignorat ita inducens V, 1, 2. Macrinum ad senatum scribentem: *ἐν εἰδόσι μὲν ὑμῖν τοῦ τε βίου μου τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν κτλ.*

5, 6. *βουλόμενος ἐν ἔθει γενέσθαι τῆς τοῦ σχήματος ὄψεως τήν τε σύγκλητον καὶ τὸν δῆμον Ῥωμαίων, ἀπόντος τε αὐτοῦ πεῖραν δοθῆναι πῶς φέρουσι τὴν ὄψιν τοῦ σχήματος, εἰκόνα μεγίστην γράψας παντὸς ἑαυτοῦ, οἷος προϊών τε καὶ ἱερουργῶν ἐφαίνετο, ... ἐκέλευσεν . . . ἀνατεθῆναι.*

3. *πεῖραν - σχήματος* om. A. || *δοθῆναι] ληφθῆναι*? Mend. 4. *τοῦ σχήματος* del.? Mend. || 5. *οἷος] οἷς* V. || *προϊών* Steph. *προσιών* libri.

An potius loco *δοθῆναι* legatur *ληφθῆναι*, Mendelssohn rogat. Miror, quid differat, quoniam ubique si datur accipitur et idem valet contra. Magis assentior, quod *τοῦ σχήματος* post *πῶς φέρουσι τὴν ὄψιν* deleri voluit eique libenter quae antecedunt *τὴν ὄψιν* in eundem usum concesserim, si quidem molestum est eadem ter enarrari et bis quidem iisdem vocibus (*τῆς τοῦ σχήματος ὄψεως — τὴν ὄψιν τοῦ σχήματος — οἷος προϊὼν καὶ ἱερουργῶν ἐφαίνετο*).

6, 7. *τὸ δὲ ἅρμα ἦγεν ἑξάπωλον, ἵππων λευκῶν μεγίστων τε καὶ ἀσπίλων, χρυσῷ πολλῷ καὶ φαλάροις ποικίλοις κεκοσμημένων, τάς τε ἡνίας κατεῖχεν· οὐδέπω δὲ τοῦ ἅρματος ἄνθρωπος ἐπέβαινεν αὐτῷ δὲ περιέκειντο ὡς ἡνιοχοῦντι δὴ τῷ θεῷ.*

1. *τὸ]* *τὸν* Reiske || *ἦγεν]* *ἦν*? Mend. || 3. *κεκοσμημένων* A a man. pr. P. Bergler, *κεκοσμημένον* BV i „et A ex corr., a manu pr. ut vid.“ Mend. || *τάς τε ἡνίας κατεῖχεν* om. P., „locus corruptus. an *αἵ τε ἡνίαι αὐτῷ περιέκειντο . . . θεῷ· οὐδέποτε δὲ* (vel *γὰρ*) . . *ἐπέβαινεν*?“ Mend. || 4. *δὲ]* *γὰρ* Reiske || *ἄνθρωπος τοῦ ἅρματος* l || *δὲ* om. l.

Stephanus eumque secutus Irmiscus, qui nihil de hac sententia *τὸ δὲ ἅρμα ἦγεν ἑξάπωλον* mutandum esse censuerunt, ita interpretantur, ut coniuncta vocabula *ἅρμα ἑξάπωλον* subiectum putent, verbo autem *ἦγεν* tacite subiciant *αὐτὸν*. Eandemque fere viam Reiskius ingreditur, ita tamen, ut obiectum *αὐτὸν* nolit subaudire, sed *τὸ δὲ ἅρμα* immutet in *τὸν δὲ ἅρμα*. Non esset quod contra pugnarem, nam voci *ἅρμα* etiam iugi significationem obtingere permultis docetur testimoniis (quae velis relegere apud Irmiscum tom. III pag 194 et 195) neque minus constat obiectum saepissime ex antecedente sententia suppleri et facilis est Reiskii coniectura et alias maxime probanda, nisi in praemissa enuntiatione *τὸν*

τε θεὸν αὐτὸν ἐπιστήσας ἅρματι κτλ. vox *ἅρμα* aperte haberet notionem currus. Eandem autem vocem tam angusto spatio intermisso vario intellectu adhiberi nullo modo putandum est, nisi forte credis hic nostrum de paronomasia agitare. Bergler autem Herodiani in versione Latina nec non Sylburgius cum *ἅρμα ἑξάπωλον* seiungerent, illud obiectum, hoc subiectum esse cogitaverunt et vocabulo *ἑξάπωλον* tacite addiderunt *ζεῦγος*. Sed eiusmodi interpretationi id maxime obesse debet, quod scriptores Graeci nusquam neque *ἑξάπωλον* neque *τρίπωλον* neque *δίπωλον* vocibus pro appellationibus utuntur. At forsitan illud quod subaudiverunt viri illi clarissimi „*ζεῦγος*" in textum restituendum sit? Ecquidem non dubito ita emendare. Hanc autem vocem, cum ante *ἦγεν* posita facillime per haplographiam excidere potuerit, re vera excidisse inde probatur, quod summo codicum consensu infra *κεκοσμημένον* legitur, quamqam voce *ζεῦγος* omissa *κεκοσμημένων* expectaretur, sicuti editores correxerunt.

Recte deinde equorum iuga frenos habuisse dixeris, ut, dummodo *τάς τε ἡνίας κατεῖχεν* immutaveris in *τάς τε ἡνίας μὲν εἶχεν* et hic omnes explicationis difficultates iam sublatae esse videantur.

Ita igitur legimus: *τὸ δὲ ἅρμα* <*ζεῦγος*> *ἦγεν ἑξάπωλον ἵππων λευκῶν μεγίστων τε καὶ ἀσπίλων χρυσῷ πολλῷ καὶ φαλάροις ποικίλοις κεκοσμημένον τάς τε ἡνίας μὲν εἶχεν, οὐδέπω δὲ τοῦ ἅρματος ἄνθρωπος ἐπέβαινεν, αὐτῷ δὲ περιέκειντο ὡς ἡνιοχοῦντι δὴ τῷ θεῷ.*

7, 3. *μετονομάζεται δὴ ὁ Ἀλεξιανὸς καὶ Ἀλέξανδρος καλεῖται κτλ.*

1. *δὴ* ag, *δὲ* O 1.

Particula *δή*, si enuntiatum praecedenti subiungit, consequentiam significat eamque pingit expectatam aut exspectandam. Sed ea enuntiatorum condicio hic non invenitur, si quidem, postquam Maesa Alexianum filium

adoptandum Caesaremque futurum commendavit, id profecto exspectaveris eum in locum filii ascisci Ceasaremque appellari, id prorsus aliter cadit atque speramus, quod nomen eius pristinum Alexiani in Alexandrum transmutatum est. Recte igitur particulam *δὴ* subinde 7, 4: *ἀποδείκνυται δὴ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος* a Politiano in orationem nostri illatam esse cognoscimus, cum quae hic dicuntur Maesae ad commendationem relationem habeant. Sed totum a *μετονομάζεται* usque ad *δοκοῦντας εἶναι* enuntiatum continuationi sermonis parenthesis interposita est, ut restituenda sit quae parentheses introducere solet particula *δὲ*, quam etiam optimi codices exhibent.

7, 4. *ὡς δὲ Καῖσαρ ὁ Ἀλέξανδρος ἀπεδείχθη, ὁ Ἀντωνῖνος αὐτὸν ἐβούλετο τὰ ἑαυτοῦ παιδεύειν ἐπιτηδεύματα, ὀρχεῖσθαί τε καὶ χορεύειν τῆς τε ἱερωσύνης κοινωνεῖν καὶ σχήμασι καὶ ἔργοις ὁμοίοις.*

1. alt. *ὁ* om. O || 2. *ἐβούλετο αὐτὸν* i || 4. *καὶ σχήμασι*] *ἐν σχήμασι*? Mend.

Hunc locum satis contortum et difficilem Politianus ita convertit: „Postea igitur quam Alexander Caesar est appellatus, volebat eum statim Antoninus suis illis institutis imbuere, ut scilicet choros agitans saltansque et sacerdotii particeps vestitu eodem et artibns uteretur.“ Unde si Graeco eius exemplari operam dabis refingendo, ita videbitur in libro suo habuisse: *καὶ σχήμασι καὶ ἔργοις χρῆσθαι ὁμοίοις,* quod in textum recipiendum esse sentio. Quod autem Mendelssohn, ex versione Bergleri opinor, emendavit *ἐν σχήμασι καὶ ἔργοις ὁμοίοις,* id sane intellegimus, quid sibi velit *ὀρχεῖσθαί τε καὶ χορεύειν τῆς τε ἱερωσύνης κοινωνεῖν ἐν σχήμασιν ὁμοίοις;* quid sit *ὀρχεῖσθαί τε καὶ χορεύειν τῆς τε ἱερωσύνης κοινωνεῖν ἐν ἔργοις ὁμοίοις*, haudscio an non item facile cognoscatur.

7, 7. *πάλιν δὲ ἕτερον ὁμοίως τῆς σκηνῆς βαστάσας παιδείας τῶν νέων καὶ εὐκοσμίας τῆς τε ὑποστάσεως τῶν ἐς τὴν σύγκλητον βουλὴν ἢ τὸ ἱππικὸν τάγμα καταταττομένων προέστησεν.*

1. *τῆς σκηνῆς]* <*ἀπὸ*>*τῆς σκηνῆς* Steph. || *βαστάσας]* haerebat Steph., *ἀποστήσας* coni. Stroth, *ἀποσπάσας* coll. V, 6, 2 *ἀποσπάσας αὐτὴν τῆς ἑστίας* Irmiscus || 2. *ὑποστάσεως] ἐξετάσεως* coni. Sylb., „de re v. Mommsen, Staatsrecht, tom II^{2} p. 398.“ Mend. || *τῶν* Sylb., *τῆς* <*τῶν*> Irmiscus, *τῆς* libri || 3. *εἰς* libri || *κατατασσομένων* libri.

βαστάζειν idem significans quod *ἀποφέρειν* invenitur etiam apud Plutarchum (conferas Rostii et Palmii lex. s. v. *βαστάζειν*) neque genitivus illi verbo adiunctus ita singularis videtur, dummodo contuleris I, 4, 1: *τοῦ σκίμποδος κουφίσας ἑαυτόν*; IV, 1, 9: *τῶν βασιλείων ἐδίωξεν.*

8, 7. *ἐκέλευέ τε τοὺς παρασήμως καὶ ὑπερφυῶς τὸν Ἀλέξανδρον εὐφημήσαντας, τοὺς δὲ αἰτίους δῆθεν στάσεως καὶ θορύβου, συλλαμβάνεσθαι πρὸς τιμωρίαν.*

1. *ἐκέλευσε* A et Joannes Antiochenus || *παρασήμως* Steph. *παρασήμους* libri; „num *παρασήμους* significat „sublestae fidei“, ducto simili de pecunia mali commatis et adulterata?“ Reisk. || 2. *τοὺς δὲ] τοὺς* A g 1, *ὡς* coni. Steph. *τῆς δὲ αἰτίους δῆθεν* <*τῆς*> Sylb. *τοὺς — θορύβου* spuria putat Mend. || 3. *συλλαμβάνεσθαι] λαμβάνεσθαι* A.

Dubito, num hoc enuntiatum, utut conformatum exhibetur libris manuscriptis, ferri possit, neque iudices literati, qui antea huic loco operam dederunt explanando, aliter senserunt. Multa enim et varia ad expoliendam eius duritiam conati sunt. In eo autem omnes consenserunt, ut pro *παρασήμους* lectione codicum *παρασήμως* legendum esse statuerent — Reiskius unus leviter dubitavit — et deinde in *τοὺς δὲ* interpretando vel emendando haererent.

Ego cum eundem explanandum aggrediar, codicum BV auctoritati potissimum me permiserim, qui et alias optimae fidei probantur. Qui cum τοὺς δὲ exhibeant, duo genera hominum, qui ad supplicium ducantur, discernere videntur. Haec autem nisi verbis τοὺς παρασήμους καὶ ὑπερφυῶς τὸν Ἀλέξανδρον εὐφημήσαντας indicata esse non possunt, ut ergo seditionis atque tumultus rei vel principes ii tantum arguantur, qui Alexandrum supra modum salutaverant. At qua causa illi παράσημοι? Hac voce ii significari videntur, qui quacunque causa nota ignominiae affecti erant. Quomodo igitur alii duces in communi culpa omnium militum decimum quemque sorte ad supplicium legabant, ita similiter Antoninus, cum omnes ultimam poenam capitalem meruisse putaret, ad mortem eos potissimum elegit, qui, cum et antea immodeste egissent, maiorem culpam in se contraxerant. Ita fere omnes, quae ceteros huius loci interpretes impediverant difficultates, expedivisse mihi videor, ut plane in codicum lectione acquiescendum esse putem, nisi quod offendor in illa tam arcta coniunctione τοὺς παρασήμους καὶ ὑπερφυῶς τὸν Ἀλέξανδρον εὐφημήσαντας, qua varia obiecta eodem comprehenduntur articulo. Maluerim equidem scriptum esse τοὺς παρασήμους τούς τε ὑπερφυῶς τὸν Ἀλέξανδρον εὐφημήσαντας.

8, 10. Ἀντωνῖνος μὲν οὖν ἐς ἕκτον ἔτος ἐλάσας τῆς βασιλείας καὶ χρησάμενος τῷ προειρημένῳ βίῳ οὕτως ἅμα τῇ μητρὶ κατέστρεψεν·

1. ἕκτον, „imo τέταρτον. ἕκτον tenet Sievers Philol. t. 21. p. 642.“ Mend.

De numero ἕκτον summo consensu iudicum literatorum dubitatur. Nam postquam Memmius et Sylburgius nostrum hac re discrepantem a ceteris horum temporum scriptoribus notaverunt, Strothius et Irmiscus aut Hero-

dianum ipsum quamquam haud ab his temporibus remotum aut certe librarios describentes eum in tradendo hoc numero errasse putabant. Neque aliter Mendelssohn sensisse videtur, cum pro *ἕκτον* numerali *τέταρτον* legendum censeat.

Unus omnium Sievers loco supra significato codicum lectionem teneri voluit ita, ut scriptorem aperte falsi accusaret („Mir ist es wahrscheinlicher, dass Herodian, in einer umgebung lebend, in welcher man viel von dem fünften jahre des Heliogabal gesprochen hatte (wie z. b. in der stadt Alexandrien, nach deren rechnung acht monate dieses jahres in seiner regierung verflossen), in dem augenblick, als er jene stelle niederschrieb, zumal er damals im höheren alter gestanden haben muss, sich wirklich vorgestellt hat, dass Heliogabal das fünfte jahr vollendet und das sechste erreicht hätte.“). Ego cum item nihil mutandum esse sentiam, suo iure dixisse Herodianum Heliogabalum sextum imperii annum ingressum esse monstrabo.

Sunt autem haec fere, quae ad describenda tempora Antoniniani imperii in usum venire videntur.

Dio Cassius apud Xiphelinum 79, 3, 3 dicit rabiem Pseudantonini, quem nos Antoninum nominavimus, „*ἔτεσι τρισὶ καὶ μησὶν ἐννέα ἡμέραις τε τέτταρσιν, ἐν αἷς ἦρξεν, ὡς ἄν τις ἀπὸ τῆς μάχης ἐν ᾗ τὸ παντελὲς κράτος ἔσχεν ἀριθμήσειεν, ἀνθῆσαι.*“

Lampridius autem in vitae Heliogabali c. 34: „Mirum fortasse cuipiam videatur, Constantine venerabilis, quod haec clades, quam rettuli, loco principum fuerit, et quidem prope triennio: ita nemo in re p. tum fuit, qui istum a gubernaculis Romanae maiestatis abduceret.“

Aurelius Victor in eo quem de Caesaribus composuit libello: „in castris praetoriis tricesimo regni mense oppressus est“ (scilicet Ant. Heliogabalus).

His liceat addere, quod nummis adhuc asservatis quintus Antonino annus tribuniciae potestatis adscribitur (v. Eckhel, de doctr. num. vet. tom. III p. 430), nec non argumenta librorum Dionis, qua tenus huc spectant, quae actis Antonini breviter delineatis tempora eiusdem ita definiunt:

„Χρόνου πλῆθος τὰ λοιπὰ τῆς Μακρίνου καὶ Ἀδβέντου ὑπατείας καὶ ἄλλα ἔτη δ', ἐν οἷς ἄρχοντες οἱ ἀριθμούμενοι οἵδε ἐγένοντο·

Ψευδαντωνῖνος τὸ β' καὶ Κτίνα Σακέρδως.

Ψευδαντωνῖνος τὸ γ' καὶ Εὐτυχιανὸς Κωμάζων.

Β. Τ. Σ. Γρᾶτος Σαβινιανὸς καὶ Μ. Φαβίτεαλ Σέλευκος.

Ψευδαντωνῖνος τὸ δ' καὶ Μ. Αὐρήλιος Σεουῆρος Ἀλέξανδρος.

His praemissis, si separaverimus datas et ab Lampridio et ab Aurelio Victore rationes temporum, nihil est, quo cetera veterum de hac re testimonia inter se discrepent. Et Dio Cassius quidem cum III annos IX menses IV dies nominet, inde ab decretoria illa inter Macrinum et Antoninum pugna commissa eodem Dione testante d. VIII. m. Junii neque ullo dissentiente a. 218 p. C. n. tempora se computasse nominatim profitetur. Recte igitur caedem Antonini d. XII. m. Martii a. 222 factam esse colligemus. Huic autem temporum dispensationi non adversatur ille quem nummi nobis significant Antonini tribuniciae potestatis annus quintus. Nam cum Elagabalus Macrino fuso statim tribuni nomen sibi assumpserit (v. Dion. Cass. 79, 2, 2: *καὶ ἐν μὲν τῇ πρὸς τὴν βουλὴν ἐπιστολῇ τῷ τε πρὸς τὸν δῆμον γράμματι καὶ αὐτοκράτορα καὶ Καίσαρα, τοῦ τε Ἀντωνίνου υἱὸν καὶ τοῦ Σεουήρου ἔγγονον, εὐσεβῆ τε καὶ εὐτυχῆ καὶ Αὔγουστον, καὶ ἀνθύπατον τήν τε ἐξουσίαν τὴν δημαρχικὴν ἔχοντα ἑαυτὸν ἐνέγραψε, προλαμβάνων αὐτὰ π(ρὶν ψηφι)σθῆναι τῷ . . . . κτλ.),* scilicet primus huius

dignitatis annus pridie Cal. Jan. a. 219 finitur, quintus autem a Cal. Jan. a. 222 usque ad m. Martium medium fere extenditur. Similiter de quattuor eiusdem consulatibus statuemus. Nam secundum Cal. Jan. a. 219 Nicomediae iniit, postquam pro Macrino consule a. 218 suum nomen neque creatus et iam exacto anno fastis consularibus indidit (v. Dion. Cass. 79, 8, 2: *καὶ ὅτι τῇ τοῦ Μακρίνου ὑπατείᾳ, μήτε χειροτονηθεὶς ἐπ' αὐτὴν μήτε ὅλως ἐφαψάμενος αὐτῆς, προδιήνυστο γάρ, αὐτὸν ἀντενέγραψε κτλ.)*. Tertium igitur Antonini consulatum a. 220, quartum, a. 221 Sabiniano Seleuco consulibus intermisso, anno 222 adscribemus.

Itaque cum numeri, quos Xiphilinus tradidit ex Dione haustos, iam argumentis Dionis et item gravissimis testibus Antonini nummis conveniant — firmantur etiam Zonarae testimonio eosdem ex Dione exscribentis —, id quod maximum est quomodo eos Herodiani accomodemus verbis, qui Antoninum sextum agentem imperii annum occisum esse narrat, quaeritur. Dio Cassius operae pretium putavit, unde ordiatur ipsius descriptio Antonini temporum, nominatim indicare, qua re tacite significare videtur et aliam definiendi eius imperii rationem in usu fuisse. Neque sane verisimile est Antoninum ipsum imperii annos ab illo ultimo cum Macrino certamine numerasse, immo vero, ne illum verum imperatorem fuisse agnosceret, penes se ipsum utpote Caracalli filium imperatoriam fuisse dignitatem contendere debuit, ex quo primum tempore a militibus imperator appellatus est, quod accidit d. XVI. m. Maii a. 217 (v. Dion. Cass. 78, 31, 4: *„καὶ τοὺς στρατιώτας ἅμα τῇ ἕω τῆς τοῦ Μαΐου ἑκκαιδεκάτης, γλιχομένους τινὰ ἀφορμὴν ἐπαναστάσεως λαβεῖν, ἀνέπεισε νεοχμῶσαι“* et 78, 34, 5: *„γνοὺς δ' ὁ Μακρῖνος τὸ πεπραγμένον* (i. e. Juliani praefecti interitum) *οὐκέτ' ἐτόλμησεν οὔτε κατὰ χώραν μεῖναι οὔτε πρὸς*

τὸ τεῖχος προσελάσαι, ἀλλ' ἐς τὴν Ἀντιόχειαν κατὰ τάχος ἀνεκομίσθη. καὶ οὕτως οἵ τε Ἀλβάνιοι οἵ τε ἄλλοι οἱ περὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία χειμάζοντες προσαπέστησαν").

Quae cum ita se habeant, ducta ratione ex illo XVI. d. m. Maii a. 217 usque ad XII. d. m. Martii a. 222, quo die Antoninus periit, primus imperii annus usque ad pridie Cal. Jan. a. 218 extenditur, illum autem a Cal. Jan. a. 222 usque ad mortem sextum fuisse Antonino imperii apparet, ut ergo suo jure Herodianus eum sextum imperii annum agentem occisum esse dicere videatur.

Lampridius, qui cladem istam tres fere annos loco principum fuisse dicit, cum et alias per totam compilationem rerum Antonino gestarum excepta illa c. 5. brevissima commemoratione hiemis Nicomediae transactae id tantum rationem habuerit, qualem ille Romae vitam gessisset, idem in temporibus illius describendis observavisse videatur, ut id eum dicere intellegamus Antoninum tres fere annos Romae (i. e. loco principum?) egisse i. e. ab aestate a. 219 usque ad m. Martium medium a. 222. Aurelium autem Victorem, cum biennium Antonino tribuat, in eo prorsus errasse non potest negari.

Liber sextus.

1, 4. *ἐπὶ πολὺ δ' οὕτω τῆς ἀρχῆς διοικουμένης, ἡ μὲν Μαῖσα πρεσβῦτις ἤδη οὖσα ἀνεπαύσατο τοῦ βίου, ἔτυχέ τε βασιλικῶν τιμῶν, καὶ ὥς νομίζουσι Ῥωμαῖοι, ἐξεθειάσθη.*

2. *πρεσβύτις* a, *πρεσβύτης* 1 || 3. *ἔτυχέ τε βασιλικῶν τιμῶν* „deleverim aut saltem *ταφῶν* scripserim" Mend. || 3. *καὶ ὥς] καὶ οἷς?* Mend.

Vocibus *βασιλικαὶ τιμαί* hic omnes eos contineri honores, qui supremi exsequiis imperatoriis adhiberi solebant, cum antecedat *ἀνεπαύσατο τοῦ βίου*, satis dilucide mihi indicatum esse videtur, quos Maesae non defuisse res erat digna commemoratione, si quidem tam misera erat imperatoriae dignitatis condicio, ut plerumque tantulo tempore per gloriam atque splendorem absumpto in cloaca et Gemoniis finem haberet. Minime igitur de iis cogitandum est honoribus, quibus vivam Maesam Romani prosequebantur, qui si hic inducerentur, sane Mendelssohnio delendam esse hanc partem textus recepti adsentirer.

Vocabulum vero *τιμή* de supremo officio usurpari testis est noster IV, 1, 5: „*ἐπετέλεσάν τε πρὸ ἁπάντων τὴν ἐς τὸν πατέρα τιμήν*"; nec minus conferatur Dion. Cass. ap Xiph. 58, 2, 1: „*οὐ μὴν οὐδὲ ἐς τιμὴν ἄλλο τι αὐτῇ πλὴν τῆς δημοσίας ἐκφορᾶς καὶ εἰκόνων ἑτέρων τέ τινων οὐδενὸς ἀξίων ἔνειμεν κτλ.*" et 57, 21, 2: „*ἄλλους μὲν δὴ οὖν καὶ πολλούς γε τῶν τελευτώντων καὶ ἀνδριᾶσι καὶ δημοσίαις ταφαῖς ἐτίμα κτλ.*"

Quod autem Mendelssohn *οἷς νομίζουσι Ῥωμαῖοι* vult scribi pro *ὡς νομίζουσι Ῥωμαῖοι,* si eius lectionem receperis, scriptor significare videtur et alias gentes principum defunctorum deificationes concelebrasse. Quod num ita se habeat, inquirere nolo; attamen etiam si concesserimus, pro ingenio nostri brevius dictum esset.

1, 7. *ἐς τετταρεσκαιδέκατον γοῦν ἐλάσας τῆς βασιλείας ἔτος ἀναιμωτὶ ἦρξεν, οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχει ὑπ' ἐκείνου φονευθέντα. καίτοι τινῶν μεγίσταις αἰτίαις ὑποπεσόντων, ὅμως ἐφείσατο ὡς μὴ φονεῦσαι κτλ.*

1. *τεσσαρ.* libri, corr. Mend. | *γοῦν*] *οὖν* Joan. Ant. || 2. *οὐδέ* — *φονευθέντα* om. Joan. Ant. „recte puto" Mend. || *ἔχει*] *ἔχοι* V. || 3. „*βουλευτὴν φονευθέντα* aut hic aut vs. 14. legisse videtur Ael. Lampr. Alex. Sev. 52, 2"

Mend. || 4. „malim ἀλλ' ὅμως sic distinguens: ἦρξε, *καίτοι . . . ὑποπεσόντων. ἀλλ' ὅμως.*" Mend.

Conferantur ad hunc locum, quae subinde sequuntur: *ὑπ' Ἀλεξάνδρου δ' οὐκ ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι ἢ μνημονεῦσαι ἐν ἔτεσι τοσούτοις ἀκρίτως φονευθέντα.*

et in fine huius libri de Alexandro conscripti 9, 8: *τέλος μὲν δὴ τοιοῦτον κατέλαβε τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὴν μητέρα, βασιλεύσαντα ἔτεσι τεσσαρεςκαίδεκα, ὅσον πρὸς τοὺς ἀρχομένους, ἀμέμπτως καὶ ἀναιμωτί· φόνων τε γὰρ καὶ ὠμότητος ἀκρίτων τε ἔργων ἀλλότριος ἐγένετο κτλ.*

Nec non respiciendum est Lampridii testimonium v. Alex. Sev. 52:

„*ἀναίματον* imperium eius, cum fuerit durus et tetricus, idcirco vocatum est, quod senatorem nullum occiderit, ut Herodianus Graecus scriptor refert in libris temporum suorum."

et ibid. 25:

„Huius imperium incruentum quidam literis tradiderunt, quod contra est. nam et Severus est appellatus a militibus ob austeritatem et in animadversibus asperior in quibusdam fuit."

Non rerum in hac quaestione, sed lectionis examinatur veritas.

Quid Herodianus de imperio Alexandri senserit, huius libri ex fine cognoscitur, loco non addubitando, cum dicat: quod attinet ad cives, sine querela et citra sanguinem imperitasse Alexandrum. Itaque cum hoc loco incruentum eius imperium ad cives referatur, non potest idem ad senatores tantum restringi, ut, quomodo ex verbis Lampridii vocem *βουλευτοῦ* in orationem nostri remittere possis, non videam. Sit, legerit ita Lampridius, ut exhibet, id sane certum est eum depravatum librum in manibus habuisse.

Quae cum ita sint, quid sibi voluerit noster laude illa incruenti in cives imperii, porro explorandum est. Hac in re qui antea Herodiani historias edendas curaverunt imperium alienum ab iniustis caedibus intellexerunt ita, ut quod sequitur verbum *ἀκρίτως φονεύειν* explicationem putarent vel potius emendationem antecedentis *φονεύειν*. Et ita quidem Boecler Strothius Irmiscus. Quae ratio interpretandi ipsius scriptoris testimonio reprobatur. Etenim cum bis legamus verbnm *φονεύειν*, si prius eundem sensum habet atque *ἀκρίτως φονεύειν*, procul dubio et alteri idem sensus adhibendus est. Habemus igitur: quamvis aliqui in maxima crimina incurrissent, tamen pepercit ita, ut non sine iudicio occideret. Sane eximium documentum misericordiae et humanitatis! At iam apparet sensum *τοῦ ἀκρίτως φονεύειν* neque hic neque illic verbis *φονεύειν* subdi posse. Herodianus igitur et hoc loco idem dicere voluit, quod in libro extremo, Alexandrum plane neminem occidisse, qua in re cum verisimile sit eum a veritate discedere, magis laudatoris eum quam rerum scriptoris officio fungi concedendum est.

Sed quid de eo dicemus, quod, cum deinde neminem ab Alexandro indemnatum occisum esse tradatur, mira quaedam Alexandri clementia, qua neminem occiderit, ad insontes tantum refertur? Sine dubio antea eadem clementia et sontes et insontes comprehendisse dicitur. Corrupta esse scriptoris verba profitendum est; nihil aliud habeo, si quidem non potuit idem dicere Alexandrum plane neminem et neminem indemnatum occidisse.

Emendandi igitur viam ineamus. Quae autem hac parte orationis inde ab *ὑπῆρχε δέ τι κτλ.* usque ad *μετὰ τὴν Μάρκου ἀρχήν* proferuntur ab nostro, hanc inter se condicionem habere videntur, ut praemonstrata Alexandri naturalis animi clementia duobus exemplis illustretur ex

administratione eius captis, quae ita constituta sunt, ut scriptor ea referundo a re minore (*ἀναιμωτὶ ἦρξεν οὐδέ τις εἰπεῖν ἔχει ὑπ' ἐκείνου φονευθέντα.)* ad maiorem (*καίτοι τινῶν μεγίσταις αἰτίαις ὑποπεσόντων, ὅμως ἐφείσατο ὡς μὴ φονεῦσαι, οὐ ῥᾳδίως τοῦτο ἄλλου βασιλέως τῶν καθ' ἡμᾶς ποιήσαντος ἢ παραφυλάξαντος μετὰ τὴν Μάρκου ἀρχήν.)* progrediatur. Quae cum ita sint, non putandum est scriptorem ab re maiore denuo ad minorem relabi velle eamque ipsam angustioribus etiam finibus circumscriptam (*ἀκρίτως φονευθέντα*), sed priorum sententiarum talis habitus et hic nos amplificatam rem auctamque collocatam fuisse colligere cogit, quam ita fere mihi restituere videor, ut verbum *ἀκρίτως φονευθέντα* immutem in *ἀκρίτως κολασθέντα* vel *ζημιωθέντα* recepta codicum O lectione *ὑπ' Ἀλεξάνδρου οὐκ ἄν τις*, nisi quod pro *οὐκ* scribam *οὐδ'*. Habemus igitur: *ὑπ' Ἀλεξάνδρου οὐδ' ἄν τις εἰπεῖν ἔχοι ἢ μνημονεῦσαι ἐν ἔτεσι τοσούτοις ἀκρίτως κολασθέντα.*

2, 1. *ἐτῶν μὲν οὖν τρισκαίδεκα οὕτως, ὅσον ἐπ' αὐτῷ, τὴν βασιλείαν ἀμέμπτως διῴκησε· τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει αἰφνιδίως ἐκομίσθη γράμματα τῶν κατὰ Συρίαν τε καὶ Μεσοποταμίαν ἡγεμόνων, δηλοῦντα ὅτι Ἀρταξέρξης ὁ Περσῶν βασιλεὺς μετὰ τὸ Παρθυαίους καθελεῖν καὶ τῆς κατὰ τὴν ἀνατολὴν ἀρχῆς παραλῦσαι, Ἀρτάβανόν τε τὸν πρότερον καλούμενον [τὸν] μέγαν βασιλέα καὶ δυσὶ διαδήμασι χρώμενον ἀποκτεῖναι, πάντα τε τὰ περίοικα βάρβαρα χειρώσασθαι καὶ ἐς φόρου συντέλειαν ὑπαγαγέσθαι, οὐχ ἡσυχάζει οὐδ' ἐντὸς Τίγριδος ποταμοῦ μένει, ἀλλὰ τὰς ὄχθας ὑπερβαίνων καὶ τοὺς τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς ὅρους Μεσοποταμίαν τε κατατρέχει καὶ Σύροις ἀπειλεῖ κτλ.*

1. *μὲν* om. l. || 7. *τε* om. A. || 8. *τὸν* om. A. || 9. *χειρώσασθαι βάρβαρα* A. || 10. *φόρον* BV. || *ὑπα-*

γαγέσθαι Steph. *ὑπάγεσθαι* libri. || 11. *ἡσυχάζοι* l. || *οὐδὲ* A. || 13. *τε* om BV.

Adnotat Mendelssohn ad vocem *τρισκαίδεκα*: „scripserim *τεσσαρεσκαίδεκα*"; ad *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει*: „omiserim cum Politiano, *δὲ* post *αἰφνιδίως* transposito. Dändliker apud Buedingerum: Untersuchungen zur römischen Kaisergeschichte tom. III, pag. 215: *γ'* pro *ιγ'* et *δ'* pro *ιδ'* coniecit, qua tamen ratione difficultates augentur potius quam tolluntur." — Pagi in critica Baroniana t. I, pag. 218 et numerum *τρισκαίδεκα* et *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ* item addubitavit ita disputans: „Non modo verba *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* corrupta sunt, quae Politianus additicia esse existimavit, sed et priora, quae annum decimum tertium notant. Certum enim est Herodianum annos tantum quattuordecim Alexandro attribuere, praesertim cum inter antiquos de hac re conveniat. Quomodo ergo scribere potuit bellum Persicum anno 13 aut 14 Alexandri inchoatum esse, cum infra c. 6. (§ 11) dicat barbaros triennio aut quadriennio post illud bellum quievisse, ac postea Alexandrum relicto oriente in Germanos movisse. Quo posito, non annos 14, sed 18 Alexander imperasset. Non dubium ergo, quin pro *τρισκαίδεκα* legendum sit *ἑπτά*." — Casaubonus ad Lampridii universe de bello Persico scribentis verba: „„iniit Parthicam expeditionem (vit. Alex. Sev. c. 50)"" haec adnotat: „anno imperii 14, inquit Herodianus, cum antea 13 rexisset imperium in alta quiete (?), sed error est in numeris aut nimis hallucinatur Herodianus. Incidit autem expeditio haec Parthica, vel potius Persica, ut infra dicetur, in annum 12 et 13." Idem ad Lampr. vit. Alex. Sev. c. 55: „„magno apparatu in Persas profectus Artaxerxen regem potentissimum vicit"" adiungit: „minime vero vicit.

Duravit institutum ab Artaxerxe regnum ab anno quarto Alexandri, qui fuit a reparata salute 226."

Ad haec Casauboni Irmiscus: „Qui Casaubonus ipse videatur sibi repugnare, duplicibus positis numeris, quorum postremus de quarto anno convenit cum annis a me sumptis in margine, dum a suscepti imperii 222 anno conficit Casauboni ille quartus 226, pro quo praefigendo huic capiti dedimus alium e monito Heynei N. ad Angl. H. 4, 1078. i., qui 229, ab illo 222 numeratus, efficit alterum illum septimum Pagi, e cuius ratione fingamus, ut 5, 8, 19 numeros *τρισκαίδεκα* et *ἑπτά* confusos esse non tam e *ιγ'* et *ζ'* quam e literis illis *ΔIII* et *IIII*, ut sequentem *τεσσαρεσκαιδέκατον* pro *ὀγδόῳ* s. *ὀγδοάτῳ* minus ex *η'* et *ιδ'* quam *ΔIIII* et *IIIII*, praeterea statuentes, illum numerum nostri pr. cap. § 15 *εἰς τεσσαρεσκαιδέκατον — ἐλάσας τῆς βασιλείας ἔτος* ansam dedisse librariis ad confingendos numeros hic vulg. etc."

Summo consensu doctissimorum hominum numeri hic ab omnibus libris manu scriptis exhibiti addubitantur neque me ipsum dissimulo non habere, quid de altero *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* pro certo affirmem, cum de priore numero *τρισκαίδεκα* nihil mutandum esse censeam. In eo autem maxime mihi a veritate aberrare videntur, quorum supra descripsimus iudicia, iudices literati, quod cum alias quartus decimus nominetur ab nostro Alexandri imperii annus velut 1, 7: *εἰς τεσσαρεσκαιδέκατον γοῦν ἐλάσασ τῆς βασιλείας ἔτος κτλ;* 9, 3: *ὑφ' ᾧ βασιλεύοντι τεσσαρεσκαίδεκα ἔτεσιν ἀμέμπτως κτλ;* 9, 8: *βασιλεύσαντα ἔτεσι τεσσαρεσκαίδεκα κτλ.*, hic illud divisum putabant, tamquam Alexander per XIII vel quoslibet annos summa laude floruisset, quarto decimo autem belli sive laude sive ignominia; etenim quid opponas illi voci *ἀμέμπτως* ex altera parte, non recte intelligitur. Sed cum aliis locis per totam vitam sine querela civium

imperitasse dicatur, et hic ab nostro, cum tredecim annos nominet, totum Alexandri imperium circumscribi agnoscendum est. Mendelssohn igitur, cum idem sentiret, vocem *τρισκαίδεκα* in *τεσσαρεσκαίδεκα* immutari voluit eodemque modo Pagi, cum certum esset Herodianum annos tantum quattuordecim Alexandro attribuere. Qua re ecquidem non item moveor. Nam ubicunque XIV anni proferuntur, postquam primo loco aperte dictum est *ἐς τεσσαρεσκαιδέκατον ἐλάσας τῆς βασιλείας ἔτος*, unde apparet quartum decimum Alexandro annum cum occideretur nondum exactum fuisse, ea utitur noster formula loquendi: *βασιλεύειν τεσσαρεσκαίδεκα ἔτεσιν,* quod ita potius vertendum sit „imperare quattuordecim annis, non ut Politianus et Bergler transtulerunt „ann os“. Tabularum igitur historicarum ratione imperii annos numeravit, qua quoniam medio fere mense Martio a. 222 Elagabalo occiso primus Alexandro annus usque ad pridie Cal. Jan. a. 223 extenditur, ultimus autem a Cal. Jan. a. 235 usque ad m. Martium exeuntem, sane XIV efficiuntur anni. Hunc autem modum describendi tempora principum et alias Herodianus adhibuit; nam Commodo ab a. 180 usque ad 192 imperitanti tredecim annos adscribit (I, 17, 12) et Elagabalo sex annos, cum ab a. 217—222 imperator fuerit (V, 8, 10). Sed hoc quem tractamus loco cum non dignitatis, sed administrationis tempora definire voluerit, accuratiorem mensuram adhibet a die, quo primum Alexander imperare coepit, usque ad mortem eius numerans, qua (a d. XII. m. Martii a. 222 usque ad m. Martium extr. a 230) tredecim anni computantur etiam Lampridio testante v. Alex. Sev. 60: „Imperavit annis XIII diebus VIII.“

Quae cum ita sint, quid de altero numerali *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ* statuamus, quaerendum est, qua in re

id quidem facile cognoscitur mendo aliquo scripturae hunc numerum in textum irrepsisse, quomodo emendemus, causa est multo difficilior. Nam si meam sequeris sententiam iudicantis his tredecim annis totam Alexandri circumscribi administrationem, apparet mortuos nullas suscipere in Persas expeditiones; sin autem vulgarem, qua eius imperium in tredecim annos et quartum decimum divisum sumitur, quomodo omnino, quae inde usque ad finem libri narrantur, trium mensium spatio concludantur, responderi non potest. Itaque iam constat orationem nostri codicibus manuscriptis hic depravatam exhiberi et ratio aliqua emendandi indaganda est. Ita autem ad veram lectionem proxime mihi accedere videor, si rerum veritatem invenero. At prius quae antea ferebantur doctissimorum hominum de hac re iudicia recensenda sunt.

Sunt autem varia multumque inter se dissidentia. Et Politianus quidem vocem *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* omisit. Sed cum verterit: „igitur quum ad hunc modum tredecim annos, quod quidem ad se adtineret, sine querela gubernasset, ecce tibi haud opinato literae e Syria Mesopotamiaque redditae a ducibus etc.“, hoc forte magis quam e consilio ei accidisse probatur. Nam etiam secundum eius sententiam quarto decimo anno imperii expeditionem Persicam Alexander adiit. Pagi autem quamquam *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* corruptum esse putavit, tamen, cum pro numerali *τρισκαίδεκα* scribi vellet *ἑπτά*, et ipsius belli Persici initia septimo imperii auno adtribuit, duos, ut opinor, insequentium annorum huic expeditioni, tres vel quattuor annos Antiochiae consumptae quieti, unum bello in Germanos suscepto discribens mirabili fere usus iudicandi levitate. Quid enim aliter senties, si apud eum legeris inter antiquos omnes de quattuordecim Alexandri

imperii annis convenire, cum praeter nostrum nullum reperias ita computantem! Jam vero quid de illa sententia ad 6, 7 spectante, qua Alexandrum Antiochiae tres vel quattuor annos versatum, postquam per totum hoc tempus Persas quiescere cognoverit, postea contendit in Germanos movisse! Et minori iudicio apparere debuit, quae illo loco exponuntur inde ab 6, 5 *εἰ γὰρ καὶ κτλ.* usque ad 6, 6 *ἐν ὅπλοις ἐγένοντο* quasi parentheseos signis circumscripta orationi inserta esse ita quidem, ut scriptor, cum Persas diceret tres vel quattuor annos quievisse, non ab Alexandri ex oriente profectione, sed ab eo tempore, quo alterum bellum ingruit a Gordiano postea profligatum regrediens annos numeraret. Itaque quoniam hoc spatium computationi eius demendum est, et omnino rationes eius ad irritum ceciderunt. Casaubonus autem, quantum item atque ceteri imperium Alexandri dividendo erraverit, iam supra demonstravimus. At in Persas expeditionem XII. vel XIII. anno huius principis attribuit, qua de re, cum magnam partem me ei assentiri sentiam, liceat infra amplius disserere. Sed hic non de eo agitur, quo tempore Alexander in Persas profectus sit, illud anquiritur, quando primum Romae auditum sit Artaxerxen Tigrin flumen transiisse, quod si invenerimus, solum nobis rectam rationem ad sanandam loci nostri corruptionem subministrabit. Quod autem attinet ad sententiam Irmisci, qui Casaubonum, cum Persicam illam expeditionem annis 233 vel 234 adscripserit, Artaxerxis autem victoriam a Parthis reportatam a. 226, ideo sibi repugnare contendit, id magis somniare quam iudicare videtur, si quidem has res, cum per se multum inter se differant, nullo pacto eodem anno accidisse putari potest. Deinde suo fato Pagii amplectitur sententiam, ita tamen, ut pro *τεσσαρεσκαιδεκάτῳ* numerale retineat, antea hic *ὀγδόῳ* vel *ὀγδοάτῳ*

asserens scriptum fuisse, rationem aperte falsam iudicandi fulciens lusu quodam scholastico, anxius ne Pagii vel alius cuiusdam illa coniectura, qua vocem *τρισκαίδεκα* ex confusione numerorum *ιγ'* et *ζ'*, sed sua, qua eandem ex confusione siglorum *IIII* et *IIII* fluxisse comperimus, spernatur.

Daendliker denique commendat, ut pro numerali *τεσσαρεσκαιδεκάτῳ* legatur *τετάρτῳ*, ut hac ratione epistulae istae a praefectis Syriae Mesopotamiaeque datae quarto Alexandri imperii anno i. e. a 225 p. C. n. Romam advenerint. Atqui Agathia testante Sassanidae a. 538 post reditum Seleuci i. e. Cal. Oct. a. 312 a. C. n. Parthorum res arripuerunt. Hic autem annus 538 a. Cal Oct. a. 225 usque ad Cal. Oct. a. 226. extenditur. Ergo, ut loco nostro *τῷ τετάρτῳ* legere possis, necessarium est, ut trium mensium spatio et Artaxerxes Parthos devicerit et imperium Romanum idem incurrerit et harum rerum nuntius Romam pervenerit, quas tot tantasque res in tam angustum temporis spatium comprimi non posse apparet.

Quibus transactis, ut ipsi emendare conemur, relinquitur.

In eo tota quaestio verti videtur, ut cognoscamus, quo anno ille de incursione Persarum nuntius primum Romam allatus sit, quod sine dubio post a. 226 fieri debuit aliquo tempore, ante hunc annum non potuit. Alexandri autem imperii totum spatium iure in partes duas diviseris, quarum priorem Romae vel in Italia, alteram bellis gerendis in provinciis consumpsit. Huius autem secundae partis initium citra annum 230 astringere non poteris, quoniam hoc anno Dio Cassius rerum Romanarum scriptor complures se dies cum Alexandro Romae egisse confirmat, neque ita multum post hunc annum

removere, ne ea quae dantur per hoc spatium rebus gestis tempora nimis inter se premantur.

His autem ab 230—235 annis haec inserenda sunt:

1) Alexander magnis itineribus per Illyricum profectus Antichochiam advenit (4, 3).
2) Bellum parat, milites exercet (ibid.).
3) Alteram mittit ad Artaxerxen legationem, quae re infecta redit (4, 4).
4) Adveniunt ab Artaxerxe quadringenti legati (4, 4—6).
5) Fluvios transgrediendos curat (4, 7).
6) Seditiones aliquot militum sedantur (ibid.).
7) Alexander exercitum dividit in partes tres (5, 1).
8) Prima per Armeniam aestate (*ἔτι θέρους ὄντος*) profecta Mediam devastat (5, 5).
9) Post haec tertia a Persis fugatur et conficitur (5, 7—10). Interea media pars Alexandro per Mesopotamiam retardante aestivis caloribus atteritur (5, 8).
10) Alexander tertii exercitus clade audita ipse regressus exercitum per Armeniam missum redire iubet (6, 1—3).
11) Hic rediens hiemis asperitate in montibus Armeniae vehementissime laborat (6, 3).
12) Alexander aestatis calore in expeditione morbo afflictus Antiochiae convalescit, militum animos reconciliat, recentes copias colligit in Persas iterum profecturus (6, 4).
13) Persa copias dimisisse nuntiatur (6, 5).
14) Qua re cognita Alexander Antiochiae manet (6, 6).
15) Nuntiato Germanos Gallias invasisse in Germanos proficiscitur (7, 2—5).
16) Lampridii testimonio firmatur eum obiter Romam venisse ibique a. d. VII. Cal. Oct. de victoriis suis ad senatum rettulisse (vit. Alex Sev. 56).

17) Pontem in Rheno facit (7, 6).

18) Interficitur m. Martio exeunte a. 235 (8 et 9).

Quae cum ita sint, suis quaeque annis adscribere conabimur. Qui sub 17 nominatur pons in Rheno factus, eum aestate structum esse verisimile inde fit, quod hac re memorata nulla alia intermissa scriptor et Rhenum et Danubium flumina demonstrat hieme gelu constricta et equis et hominibus firmam praebere viam. Itaque hoc opus nullo pacto a. 235 attribui potest, si quidem iam m. Martio Alexander occisus est; quaeritur, utrum 233 a. an 234; namque priores iam desinunt hanc rem attingere, quoniam constat Alexandrum extrema vita hanc in Germanos expeditionem suscepisse. Et primum quidem ponamus pontem illum aestate a. 233 factam esse; ita Alexander a. d. VII. Cal. Oct. a. 232 Romae de victoriis suis ad senatum rettulit, hieme antecedente annorum 231 et 232 exercitus Romanus per Armeniam rediens frigore confectus est, aestate a. 231 exercitus tertius Romanorum fugatus, Alexandri caloribus magnam partem absumptus est. Cum autem praeterea, priusquam eae calamitates Romanis acciderent, certum sit primum exercitum in Mediam incurrisse eumque ἔτι θέρους ὄντος firmetur Armeniam peragrasse, si itineri probabili aestimatione trium mensium spatium tribuerimus, Maio fere mense Alexandrum Antiochia movisse colligimus. Antea autem iam fluvios transgrediendos agitantem seditiones militum moratae erant et eorum, quos ex Aegypto adsciverat, et per Syriam dispositorum, et quamvis brevi tempore repressi tradantur militares spiritus, tamen non possumus illum primum fluvios transgrediendi conatum jam a. 230 non adsignare. His porro praecedunt et Artaxerxis ad Alexandrum legatio nec non Alexandri ad Artaxerxen, ab Romanis Antiochiae per exeritationes militum consumpta tempora, ut

haudscio an Alexandri per Illyricum in Asiam profectio in annum 229 incidere videatur. Atqui teste Dione a. 230 imperator Romae et per Campaniam versatus est. Itaque ergo tota haec factorum series uno anno posteriore tempore exsignanda est.

Ita fere dispensamus:

a. 230. aestate iam ad hiemem inclinante Alexander per Illyricum Antichiam proficiscitur.

a. 231. Antiochiae copias ex Aegypto attrahit, milites exercet. Quod autem Dionis testimonio Artaxerxes iam penitus iu Syriam prorupisse videtur militibus Romanis aut abnuentibus defensionem aut sponte se dedentibus, mox autem Alexandrum fluviorum transgressus parare audimus, praeterquam quod imperator apud senatum victoriis gloriatur a Persis reportatis, huic anno feliciter aliquo modo ab Romanis gestae res incidere videntur. Hiems a. 231/232 seditiones militum sedando transigitur.

a. 282. Maio fere mense copias imperator dividit. In septentrionalia missus exercitus posterioribus aestatis mensibus Armeniae montibus superatis in Mediam irrumpit. Artaxerxes audito et in proviucias ad orientem vergentes Romanos incurrisse, Mediam relinquit, Romanorum tertiam partem conficit apud confluentes fluvios. Interea Alexandro per Mesopotamiam retardante Romanorum exercitus medius aestivis caloribus atteritur. Imperator ipse regressus et primum exercitum redire iubet, qui Armeniae montes superans hieme a. 232/33 vehementissime laborat.

a. 233. Alexander Antiochiae militum animos reconciliat. recentes manus contrahit in Persas iterum profecturus; dein cognito Persam copias dimisisse

Antiochiae moratur, dum Germani Gallias petivisse nuntiantur, quo audito Romam redit. Ad senatum de rebus gestis refert a. d. VII. Cal. Oct.

a. 234. in Gallias proficiscitur ad bellum Germanicum. Ponte in Rheno facto milites colligit, exercet, legationem mittit, vacat spectaculis.

a. 235. m. Martio extremo interficitur.

Haec igitur ita discribendo ratione quam potest verisimillima probavisse videmur Alexandrum a. 230 posteriore parte Romam reliquisse. Quibus transactis id iam restat, ut annorum 226—230 res gestas suis adtribuamus temporibus. Sunt autem hae:

1) Artaxerxes tribus pugnis vincit Artabanum (Dio. C. ap. Xiph. 80, 3, 2. Her. VI, 2, 1).
2) Parthis vicinas gentes subigit (Her. VI, 2, 1).
3) Tigrin flumen transgreditur, Atra obsidet, expugnat, Romanorum fines perturbat, Syriae minitatur. Praefectorum Syriae Mesopotamiaeque epistulae (Dio C. 80, 3, 2. Her. VI, 2, 1—2).
4) Alexander legationem mittit ad Artaxerxen. Hic Mediam aggreditur, subigit, deinde Armeniam aggressus fugatur (Dio C. 80, 3, 3. Her. VI, 2, 3—4).
5) Artaxerxes recentes copias colligit, deinde provincias Romanas iterum irrumpit, Mesopotamiam depopulatur, castella occupat militibus se ultro dedentibus aut abnuentibus defensionem (Dio C. 80, 3, 3—4, 1. Her. VI, 2, 5—6).
6) Hae res Romam nuntiantur (Her. VI, 3, 1).
7) Alexander expeditionem Parthicam parat; per Italiam et omnes provincias delectus habentur (Her. VI, 3, 1—2).

8) a. 230 medio fere Roma proficiscitur (Her. VI, 3, 3—4, 3).

Artaxerxis secundam illam (s. 5) in fines Romanos incursionem post a. 228 figendam esse Dio testatur, qui postquam causam tantorum regis progressuum militis Romani luxuriam libidinem intemperantiam significavit, adiungit exempla praeterita malae disciplinae, quod Mesopotamiae milites Flavium Heracleonem necaverint et praetoriani post interfectum Ulpianum se ipsum ad supplicium flagitaverint (vid. Dion. Cass. 80, 4, 2). Hoc autem periculo constat Dionem inter a. 228, quo Pannoniam rexit, et a. 229, quo consulatum iniit, perfunctum esse. Recte igitur clades illas Romani nominis a. 229 adscribemus. Hac autem ratione Artaxerxis in Mediam et Arminiam expeditiones (s. 4) in annum 228 incidunt, ut iam a. 227 Tigrin flumen transgressus Atra obsedisse et primum fines Romanos tentavisse (s. 3) videatur. Ad eundem igitur annum et epistulae istae Syriae Mesopotamiaequae praefectorum ab nostro 6, 2, 1 commemoratae referundae sunt, ut summa probabilitate pro *τῷ δὲ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ ἔτει* legendum esse *τῷ δὲ ἕκτῳ ἔτει* colligere liceat.

Vita.

Natus sum Joannes Jacobus Blaufuss Castelli, in vico Franconiae inferioris a. p. C. n. 1863. VI. Id. Sept. patre Conrado, literario magistro, matre Guilelmina de gente Eckart, quam solam superstitem summa veneror pietate. Fidei addictus sum Lutheranorum evangelicae. Cum prima elementa Ottingae didicissem, gymnasii studia Augustae Vindelicorum exorsus Monachii inter discipulos ludi nomine Maximiliani, gloriosissimi regis, celebrati finivi. Praeerant studiis nostris tum in illa urbe Fridericus Mezger et Dr. Rudolphus Schreiber, praeceptores rarissimi, quorum virtute illius Thebarum huius Germaniae gaudent Musae; tum Monachii Antonius Linsmayer, studiorum rector celeberrimus, maturiore morte his bonis artibus ereptus. A. 1883 inter cives universitatis Friderico-Alexandrinae receptum rerum et theologicarum et philologicarum studiosum has me docuerunt Dr. Joannes de Mueller et Dr. Augustus Luchs, clarissimi viri et quorum disertam doctrinam semper gratissima colam memoria. Academicis studiis absolutis per quattuor annos asylum liberis in vico Feldkirchen prope Monachium sito apertum moderatus nunc parochus sacris gerundis pagi Langenaviensis occupor.